













GESNER (Conrad)


8

+

Thibaud
Massiliensis

Lugduno hunc Emptum Librum

Thibaudus
φιλόφαρμακος



Gulliel... Johan... ...

APPARATVS ET DELECTVS SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM.

*

DE COMPOSITIONE Medicamentorum ſecundum Genera, EX PAVLO Aegineta.

DE COMPOSITIONE Medicamentorum ſecundum Genera vniuerſalis methodus, ex GALENO.

*

OMNIA nunc primùm ædita, cùm Medicis, tum Pharmacopolis omnib. apprimè neceſſaria, Auctore CONRADO GESSNERO Tigurino.

ex libris cl. ... De Bora ...

Lugduni,

Sub ſcuto COLONIENSI, apud Ioannem & Franciſcum Frellonios, fratres.

1542



CLARISS. MEDICO, D. CHRISTOPHORO CLAVSERO

CONRADVS GESSNERVS S. P. D.



OLENDA profectò res, multáq; reprehensione digna, Christophore uir doctißime, cùm nostro seculo artes ac disciplinæ omnes, barbaram quæque suam exuerint leberidem, & tanquam uere nouo eruditorum ceu fauoniorum afflatu fœlici reuirescere cœperint: solam adhuc Medicinam nondum undiq; uetus illud exuuium exuisse. Haud secus quàm cùm puerpera fœliciter quidem enixa partum est, secundis uerò hærentibus adhuc affligitur: Ita Pæonia disciplina in lucem nuper ædita est satis integrè, nisi aliqua eius pars lateret adhuc in tenebris condita. Quæ'nam uerò ea est? Illa omniũ prima, quæ iuuenescere primùm de-

bebat: illa in primis necessaria, quod ad frequentem usum attinet, ac instrumenti rationem: illa cuius auctores in utraque lingua nitidissimos & eloquentissimos habemus. Nempe quæ Medicamenta simplicia rectè cognita, suo in genere præstantissima quæque seligit, usui lecta probè parat, siue simplici, siue cum alijs iuncto. Minimè te fugit hucusque è fæculentis barbarorũ lacunis, quicquid huiusmodi Apparatum attinet, præteritis antiquiorũ doctiorumq́; fontibus, haustum esse. Hanc ego tandem fortunam misertus Medicinæ nobilissimæ, tanquam alicuius heroinæ in fœdam miseramq́; seruitutem indignis modis redactæ, quantiscunque possem hoc tempore copijs succurrere uolui, inq́; pristinum ingenuitatis statum asserere. Tolerandum quidem utcunque existimassem, si dictis tantum barbaris ueluti conuitijs inclyta herois fuisset affecta, nisi purissimo etiam eius integerrimoq́; corpori iniurias inferri animaduertissem. Itaque uirium mearum non ignarus,

rus, periclitari tamen egomet malui, quàm ſciens uidensq́; ipſam in periculo ſolam deſe rere. Mox ſuppetias ad hoc ex antiquis collegi, Dioſcoride cumprimis, eáque Meſuæi parte, quæ iam antea eruditiſsimi uiri Tagautij opera politius exculta fuerat. Hoc enim enixè cupio, hoc unicum inſtituo, ut pharmacorũ officinæ rectè ſint conſtitutæ. Proinde ſimplicia primũ medicamina, tum quæ Dioſcorides, tum quæ alij Græci Latiniq́ue inſignia tradiderant, in enchiridion redegi, hiſtoria quidem fuſè explicata, uiribus autem breuiſsimè iuxta Pauli Aeginetæ ferè præſcriptum. Eorundem alio opere ſolas nomenclaturas uarijs linguis expoſui, uidelicet Latina, Græca, Germanica atque Gallica. Rurſus alio libello ſuccidanea, quæ mutuos & æquales uſus ſui exhibent, conſcripſi: omnibus in Pharmacopoliorũ utilitatem elaboratis, ut ſimplicium nomina, hiſtoriam, reciprocationem, delectum, apparatumq́ue haberent. Quæ ſi non perfeci, ſaltem cona-

tus ſum. Interim hoc labore fruantur Seplaſiarij, hinc interim proficiant, donec uel ipſe colophonem impoſuero, uel alius quiſpiam, cui hæc rudimenta ſint abſoluendi à ſe operis. Habebunt ex hoc libro pharmacorum inſtitores ea ſigna quibus in ſuo quodque genere præſtantiſsimum deprehendant, coquendi, lauandi, urendi, eliciendíque ſuccos rationem, & alia huiuſcemodi neceſſaria cognitu. Quòd ſi adhuc compoſita medicamenta illuſtrentur, quomodo apud ueteres ſint appellata, qua ratione parata, haud uideo quid aliud à pharmacopolis deſyderari debeat, aut poſsit. Sunt ſanè permulta quæ uulgo barbaris nominibus iactantur, antiquitus à Græcis deducta, multa à recentioribus quidem Græcis, politius tamen integriúsque multo, quàm uſurpentur hodie, tradita: ſed in tanta nominum barbarie, corruptáque rerum confuſione pleroſq; latent.

Ea quoque breui enucleata, Latinè deſcripta ex ueteribus, ueráque methodo compo-

ſita

ſita ſtudioſis impertiar, ſi hæc illis placuiſſe animaduertero. Viſum eſt autem huc adiungere uniuerſalia Aeginetæ de medicamẽtorum ſecundum genera compoſitione præcepta, eiuſdemq́ue argumenti generalẽ Galeni doctrinam, particularibus ferè cunctis reiectis: partim ut liber magnitudine nõ excederet, ſed breuitate ſua legentium animos inuitaret, alliceretq́ue: partim quòd multa inutilia, non ab ipſo Galeno, ſed alijs paßim doctis atque indoctis compoſita uiderentur. Facile autem fuerit ſimplicium materiam, ac uniuerſalem methodum callenti, particularia ad quoſcunque affectus medicamina conſtituere. Item in alio opere quod iam breui ædendum pollicitus ſum, ſeorſim omnes ſaltem inſignes particulares cõpoſitiones memorabo. His omnibus de cauſis generalẽ ſolum tanquam epitomen Galeni librorum de compoſitione κατὰ γένη, hoc loco tradere operæpretium iudicaui: paucis exceptis ex quorum deſcriptione reliquorũ etiã apparatum

Seplasiarij conijcerent, exemplaremque aliquam exercitationē haberent. E cæteris Galeni scriptis nullum scio pharmacopolis necessarium lectu, nisi qui Theriacam mixturam præparāt, ut primus de antidotis, quem diligenter iterum atq; iterū euoluant omnes adhortor. Tibi uerò in primis hoc quicquid est, eruditißime uir Christophore, mihiq; colendißime, uolui dedicatū, idq; iure optimo, cùm inclyta urbs Tigurū cōmunis utriq; patria te fœlicißimum sui ἀρχιάτρου habuerit. Præterea D. Albertus Belfortis Rhœus uir in omni disciplinarum genere absolutus, medicinæ iuxta & philosophiæ peritiß. cuius hic aliquot diebus, quæ eius est humanitas, summa familiaritate sum usus: hic inquam cum quotidie in honorificā tui mētionē simul incideremus, effecit quò minus tui obliuisci potuerim. Accipies igitur bono animo, & pro eruditione tua si quid mutādū, demēdū, adijciendumue uidebitur, facies. Vale. Lugduni in peregrinatione, 1541. Idib. Ian.

Index in Apparatum

Simplicium & Generalium Medicamentorum.

A

ABsinthium pag. 3
Absinthij dosis & delectus ibid.
Acacia 4
Acaciæ delectus ibid.
Acopa 133. & 273
Acopa calefaciẽtia quibus constent, quibusq; conueniant 133
Acopa emollientia quid præstent ibid.
Acopis quæ misceantur 275
Acoporum spißitudo quæ esse debeat 133
Acorum 4
Adeps omnis 4. & seq. & 264
Adipum differentiæ 261
Aeris flos 9
Aeris flos quomodo in emplastris coq debeat 127
Aeris squamma 10
Aes ustum 11
Aeris coctio 126
Aeris scoria 11
Aerugo rasa ibid.
Aeruginis coctio 125
Aerugo scolecia 12
Agaricum 13
Agarici mali notæ 14
Agglutinamenta 121
Alcyonij quinque genera 14
Alfescerae dosis 27
Aloë 15
Aloës optimæ notæ ibid.
Aloës coctio 126
Alumen 16. & quomodo in emplastris coqui debeat 126
Alypia unde dicta 112
Ammoniacum 17
Ammoniaci coctio 127
Amomum 17

Amomis 17
Amurca 18
Amygdalæ dulces ibid.
Amylum ibid.
Aniſum ibid.
Anacollemata 123
Antipathes 41
Apochyma, pix nauibus deraſa, quomodo in emplaſtris coq; debeat 127
Aqua 18
Argenti ſpuma 19
Argẽti ſpumæ coctio 126
Argenti ſpumæ uſus & uires 155
Argenti ſpumæ crudæ uſus 161
Argenti ſpuma & reliqua metallica quomodo abluantur 162
Argentum uiuum 21
Ariſtolochia ibid.
Ariſtolochiæ delectus & doſis 22
Armenius lapis ibid.
Armenici doſis ibid.
Aſarum ibid.
Aſius lapis 23
Aſpalathus ibid.
Atramentũ librarium 23
Atramentũ ſutoriũ ibid.
Atramenti ſutorij coctio 126
Auripigmentum 24
Auripigmenti coctio 126

B

Balanus myrepſice 25
Balſamum ibid.
Bdellium 26
Bdellij coctio 127
Ben delectus 25
Bitumen 27
Bituminis coctio 127
Bryon 69
Bryonia 27
Britanica ibid.
Bupreſtes ibid.
Butyri fuligo ibid.

C

Cadmia 28
Cadmiæ coctio 126
Calamus odoratus 30
Calx uiua ibid.
Cantharides ibid.
Cardamomum 31
Cartami delectus & doſis 39
Caſia 31

Caſia

Casia fistularis, quam Græci ueteres ignorarũt 31 & 32
Castorium 32
Cedrus ibid.
Cedria ibid.
Centauriũ magnum ibid.
Centaurium minus ibid.
Centaurij utriusque dosis & delectus 33
Cera 33. & quomodo in emplastris coqui debeat 128
Cera candida quomodo fit 34
Ceræ cum oleo in medicamentis quis modus esse debeat 132
Ceratomalagmata 274
Cerui cornu 34
Cerussa quomodo fit 34 quæ melior 35. & quo modo in emplastris coqui debeat 128
Chalcitis 36. & quomodo in emplastris coqui debeat 128
Chamelæa 110
Chelidonium 36
Chrysocolla ibid.
Cicuta 37
Cinnabaris ibid.
Cinnamomum ibid.
Cnicus 39
Cnidij granum 110. dosis 111
Coccum 39
Cœruleus lapis 39. & 43
Collyria 121
Collyriorum liquidorum materia 123
Colocynthidis duplex genus 40
Colocynthidis medullæ præparandæ modus. ibidem
Conchyliorũ coctio 130
Conyza 41
Corallium ibid.
Costus ibid.
Cotonea mâla 42
Crocodili terrestris fimũ, siue Crocodilea ibid.
Crocomagma ibid.
Crocum 42. & 43
Cucurbitula syluatica diligentißime terẽda 40

Cyaneus, ſiue Cœruleus lapis 43
Cyclamen 44
Cypirus ibid.
Cyphi thymiama 45
Cyprus ibid.

D

DAcrydion 98
Diphryges 45. & quomodo in emplaſtris coquatur 130
Dipſacum 46
Dracunculus ibid.
Dropax duplicem recipit præparationem, materiã acopis & emplaſtris confinem 133
Dulcis radix 46

E

EBenus 46
Elaterium 47
Elaterij durationis tempus 48
Elleborus uomitione purgat 113
Elleborus albus quomodo præparandus ibid.
Elleborum fortiſſimo duci æquatur ibid.
Emplaſtrorũ materia 123
Emplaſtrorum differentiæ 124
Emplaſtra catagmatica 102. & 124
Emplaſtra cicatricem ducentia 124
Emplaſtra colletica ibid.
Emplaſtra quæ cõcoquunt ibid.
Emplaſtra digerentia ibidem & 257
Emplaſtra emollientia ibidem
Emplaſtra enæma 125
Emplaſtra extrahentia 124. & 257
Emplaſtra quæ leniunt 125
Emplaſtra pus mouentia ibid.
Emplaſtra ſiccantia 124
Emplaſtrorũ uiridium uſus 179
Emplaſtrorum uiridium commixtio, & proportio 180
Emplaſtra quomodo uiridia fiant 182

Em

Emplastri uiridis simplicis confectio & uirtus 175
Emplastra melina 186
Emplastra rufa, quæ δίχρωμα, id est incerti coloris dicuntur 189
Emplastrum rufum Galeni 190
Emplastra cicatricem inducentia 191
Emplastra cephalica 192
Emplastra propriè cephalica 193
Emplastra glutinantia 194
Emplastrum nigrum 197
Emplastri nigri coctio ibi.
Emplaston pharmacum διὰ χαλκίτεως 143. & seq.
Emplastrũ ex argenti spuma præparatum 155
Emplastrum candidũ quomodo fit 157
Emplastrũ ex argenti spuma & hydrelæo 157
Emplastrũ ex argenti spuma & oxelæo 159
Emplastrum ex argẽti spuma & œnelæo 160
Emplastra alba ex argenti spuma & cerussa 164
Emplastri eiusdẽ põd. 166
Emplastra candida quomodo componenda aduersus ulcera, cocoëthe, & cicatricem difficulter admittentia 167. & seq.
In Emplastris colorum uarietas 171
Epithemata 131
Epithymum 48
Epithymi dosis 49
Eruina farina ibidem
Euphorbium ibidem
Euphorbij dosis 50

F

Faex 50
Fel 51
Fici lixiuium ibidem
Fici syluestris & satiuæ succus ibidem
Fœniculi succus ibidem
Fœnumgræcum, & eius cõfectio ex Aëtio 52
Fucus marinus ibidem
Fuligo ibidem
Fumaria ibidem
Fumariæ exhibitionis modus 53

G

Gagates lapis 53
Galbanum 53. & quo modo in emplastris coquatur 128
Galeni documentum de lapidibus abluendis 22
Galla 54
Gallinacei ueteri ius ibid.
Galli gallinacei delectus 54
Gallinacei decocti dosis 55
Genista 102
Gentianæ succus 55
Gingiber ibidem
Glãs unguẽtaria 25. & 55
Glutinum 55
Glutinum piscium ibid.
Gramen 56

H

Haematites 56
Helænius 57
Hermodactylus ibidem
Herbæ quomodo emplastra ingrediantur 130
Hermodactylis legendis tẽpus accommodum ibid.
Hermodactylus rotundus ibidem
Horminum syluestre 57
Hyoscyamus ibidem
Hypocisthis 58
Hyssopum ibidem

I

Icthyocolla 55
Indicationes ad ulcera curanda 253
Indicum 59
Inunctionum aliæ simplices, aliæ compositæ 135
Inunctionum simpliciũ materia ibidem
Iris 59
Iris Mesuæ ibidem
Iris Florentina 60
Iuncus odoratus ibid.

L

Lac 61
Lactuca syluestris ibi.
Ladanum 61
Lana et lanarum medicina 62
Lapidum coctio 130
Laserpitium 62
Lathyris 63
Lentiscus ibidem
Ligusticum 63
Lilium ibidem
Lora ibidem

Lycium 64
Lyncis urina, siue Lyncurium ibidem

M

MAgnes 65
Malabathrũ ibid.
Malagmata 259
Malagmatum genera 131
Mandragoras 65
Manna 66
Mannæ adulteratio ibid.
Mannæ thuris coctio 128
Marchasita 43
Marrubium 66
Mastiche ibidem
Meconium 79
Medicamenta arida 118
Medicamẽta stomatica 120
Medicamentorum stomaticorum usus uarius ibid.
Medicamenta quæ emplastra ingrediuntur quomodo coquantur 125
Medicamenta qui probè cõpositurus est, quæ præscire eũ cõuenit 138.& seq.
Medicaminum compositorum usus 140
Medicamentum ex molybdæna 163
Medicamenta specialia 198 & seq.
Medicamentorum ex metallicis confectio, ad neruorum uulnera 219
Medicamentum ex euphorbio 225
Medicamentum ex liquabilibus 230
Medicamentum ex ladano 252
Medicamenti emplastrodis compositio 250
Medicamentum mediocre ibidem
Medicamentũ liquidũ 263
Medicamentis siccis, in ulceribus ad cicatricẽ ægrè uenientibus & malignis, quomodo utendũ sit 246
Medicamina malactica primi ordinis 267
Medicamina malactica secundi ordinis 268
Medicamina relaxãtia 270
Medicamentum consistentiæ ordo 273
Medullæ 67.& 265

Mel

Mel 67
Melanteria ibidem
Melilotos 68
Mesuæ error 93
Mesuæ somnium 112
Metalla quæ liquefiunt 156
Metallorum frictio cum aceto ad solem 177
Mezereon 111
Mezerei dosis ibidem
Minij coctio 126
Misy quomodo emplastra ingrediatur 129
Molybdæna 68
Molybdoides lapis 83
Mori succus 68
Mori radix ibidem
Muscus 69
Myrobalani Cepuli, Empelitici, Belethzici, Nigri 69
Myrrha 70
Myrrhæ coctio 129
Myrrha troglodytica 70
Myrrha Bæotica ibidem
Myrtus 71
Myrtidanum ibidem

N

Nardi genera 71
Nardum Celticum 72
Neruorum uulneratorum curationis modus 198
Nitrum 72
Nitri spuma 73
Nitri coctio 130

O

Oenanthe 73
Oesypum ibidem
Oleæ Aethiopicæ lachryma 74
Oleum candidum ibid.
Oleæ syluestris succus 75
Oleum Sicyonium ibid.
Oleum Omphacinum 76
Olei cum cera in medicamentis quis modus esse debeat 132
Olei differentiæ 178
Oleum tenuissimum 209
Olei coctio 129
Oleũ simplex acopon 274
Omphacium 76
Opium 76. & 79
Opopanacis coctio 129

P

Palma Elate 77
Palmarum nuclei ibi.
Panaces ibidem

Panis

Panis porcinus 44
Pancratium 78
Papaueris calyces ibid.
Papaueris nigri capita & folia 78.79
Papaueris lachryma quomodo emplastra ingrediatur 128
Pastillorũ tres species 117
Peplis 79
Pepo ibid.
Peucedanum ibid.
Pharmaca abstergentia 184. & seq.
Pharmacum ex columbarum stercore 233
Pharmacũ ex herbis 234
Pharmacorum sumptuosorum confecturæ ad neruos uulneratos 235
Phrygius lapis 80
Phu ibid.
Piceæ fuligo ibid.
Picis liquidæ fuligo ibid.
Picinum oleum ibid.
Pini fuligo ibid.
Pinorum erucæ 27
Piper nigrum 81
Piscium fluuiatilium pinguia ibid.
Pissasphaltum ibid.
Pityusa ibid.
Pityusæ modus 112
Pix arida 81
Picis coctio 129
Plumbaginis coctio ibid.
Plumbum elotum 82
Plumbum ustum ibid.
Plumbi usti coctio 129
Plumbi recrementum 83
Polium ibid.
Polypodium ibid.
Polypodij notæ ibid.
Pompholyx 84
Pompholygis coctio 126
Populus 87
Propolis ibid.
Propolis coctio 130
Pruna 87
Pruna prandium inchoare debent 88
Prunorum decocti modus ibidem
Pseudocasia 31
Pseudocinnamomum 38
Psoricum 88. & 36
Psyllium 88
Psyllium commẽdatur se-

mine ibid.
Pumex ibid.
Pumicis coctio 130
Punicum mâlum domesticum & syluestre 88
Pycnocomon ibid.
Pyrites 44.& 89

Q

QVo tempore, quibus locis stirpes legere conueniat 1

R

RAdicum coctio 130
Resina liquida è pinu & picea 89
Resinæ coctio 130
Resina lentiscina 66
Resinæ 229
Resinarum differentiæ 176.& 213
Resinæ cur malagmatis misceantur 265
Resinæ Colophoniæ duplex nota 265
Rhabarbarum 90
Rhabarbari optimi notæ ibidem
Rhabarbarum correctore non eget 91
Rhaponticum ibid.
Rhu ibid.
Ricinus ibid.
Rosarum succus 92
Rosei pastilli ibid.
Rosarum quæ præferenda ibidem
Rosæ damascenæ 93

S

SAgapenium 93
Sagapenũ optimũ 94
Sagapenum purgatorium non est ibid.
Sagapeni coctio 130
Sal 94
Salis flos 95
Salis spuma ibid.
Salis coctio 130
Salix 95
Samia terra ibid.
Samius lapis ibid.
Sampsuchum ibid.
Sandaracha ibid.
Sandarachæ coctio 126
Sarcocolla 96
Scammonia ibid.
Scammoniũ colligendi modi duo ex Diosc. 96.
ex Mesuæ quatuor 97

Scam

Scammonio colligēdo tempus accommodum 97
Scammonij optimi fidelis probatio 98
Scammonium deterrimum ibidem
Scāmonij dosis 98. & 99
Schistus lapis 99
Scilla ibid.
Scordium 100
Seminum coctio 130
Sene 100
Serapionis error 41
Sertula Campana 68
Serum 101
Seri lactis optimæ notæ ibidem
Sigillum Mariæ 44
Sinapi 101
Sinapismus quomodo fiat 133
Sinapismus quibus utilis sit 134
Sinapismus quibus uitādus sit ibid.
Solanum hortense 101
Sori ibid.
Sori coctio 130
Spartion 102
Spatha 77
Spica 91
Spodium 86
Spongiæ 102
Squamma ex Acie decussa 10
Squilla 100
Stellatus lapis 43
Styrax 103
Styracis differentiæ & electio 264
Sulfur 103
Sulfuris coctio 130
Sycomori succus 104

T

Tamarindi 104
Tamarindorum adulteratio ibid.
Tamarindorum conseruatio ibid.
Terebinthina ibid.
Terebinthina quomodo uratur 105
Terra Ampelitis ibid.
Terra Chia ibid.
Terra Cimolia ibid.
Terra Eretrias ibid.
Terra Lemnia 106
Terra Melia ibid.

Terræ omnis electio 106
Terra Selinusia ibid.
Terræ cuiuslibet coctio 139
Thapsia 107
Thapsiæ coctio 131
Thus 108
Thuris fuligo 109
Thuris cortex ibidem
Thuris lachryma quomodo emplastra ĩgrediatur 128
Thuris manna 102
Thymelæa 110
Thymelææ modus, siue dosis ibidem
Thymus 111
Thymi dosis ibidem
Tithymalus Characias 106
Tithymalus Paralius 107
Tithymalus Helioscop. ib.
Tithymalus Cyparißius ibidem
Tragacantha 111
Tragos ibidem
Tragoriganum ibidem
Turpet ibidem
Tripolij dosis 112

V

Veratrum album 113
Veratri albi dosis 113. & 114
Veratrum nigrum 114
Viole succus 115
Vipera ibidem
Viscum 116
Vlceris caui curandi ratio 171. & seq.
Vnguis odoratus 116
Vnguentorum coctio 131

FINIS.

Apparatus, & delectus SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM.

*

Quo tempore, quibus locis stirpes legere conueniat.

EX PRAEFAT. DIOSCORIDIS.



IN PRIMIS *curam impendere oportet, ut suis temporibus singula & demetantur & recondantur. certè pro horum ratione aut ualēt uiribus, aut euanido nulloq; munere funguntur. Serena igitur cœli constitutione demetenda sunt. Magni siquidem refert inter colligendum, si uel squalores uel imbres infesti sint: quemadmodum si loca, in quibus prodeũt, cliuosa, & uentis exposita sint & perflata, frigidaq; & aquis carentia. in his enim locis uires eorum longè ualidiores intelliguntur. Contrà, quæ in campestribus, riguis, & opacis, cæterisq; locis à uento silentibus enascuntur, plerunq; degenerant, & minus uiribus ualent: multoq; magis, si nō suo tempore, nec opportunè colligantur, aut si per imbecillitatē intabuerint. Neque ignorandum, sæpe pro peculiari loci natura, aut anni clementia, maturius aut serius adolescere. Nonnulla propria ui, hyeme florent & folia pariũt: quædam*

bis anno florifera. Quare cui in animo est horum peritiam assequi, necesse est eum prima germinatione solo emergentibus, adultis, & senescentibus adesse. Nam qui pullullanti herbæ duntaxat astiterit, adultam cognoscere non potest: neque qui adultam tantum inspexerit, nuper erumpentem noscet. Quò fit ut propter mutatam foliorum faciem, caulium proceritates, florum seminisq; magnitudinem, & id genus alias peculiares notas, nonnulli qui olim has rerum uarietates non perspexerunt, magno in errore uersentur. Quæ causa etiam nonnullis scriptoribus imposuit, qui herbas quasdā, uerbi gratia gramen, quinquefolium, & tußilaginē, emittere florem, fructum & caulem negant. Ergo qui sæpius ad uisendas herbas & earum natales se contulerit, earum cognitionem maximè consequetur. Scire etiamnum cōuenit, sola ex herbaceis medicaminibus ueratri genera, nigrum, inquam, & candidum, multis edurare annis: reliqua à trimatu inutilia. Quæ uerò fruticosa sunt, sicut stœchas, trixago, polium, abrotonum, seriphum, absinthium, hyssopum, & alia id genus semine prægnantia demetantur.


Flores quoq; antea, quàm spōte sua decidant. Fructus autem, ut maturi decerpantur necesse est. Semina, ubi siccari cœperint, priusquàm defluant. Herbarum succus, & foliorum elici debet, germinantibus tum primum cauliculis. Lac & lachrymæ excipiantur, inciso per summum adolescentiæ uigorem caule. Radices, & liquamenta, corticésue ut recondantur eximere conuenit, cùm herbæ suis folijs exuuntur. Siccantur etiā expurgatæ inibi, locis asperginem non redolentibus: sed

quæ

quæ luto aut puluere ſunt obſitæ, aqua elui debẽt. Flores & omnia quæ iucundum odorem efflant, arculis tiliaceis, nullo ſitu obductis reponantur. Nonnunquam charta aut folijs ſemina, ut perennent, aptè inuoluuntur.

Liquidis medicaminibus denſior materia argentea, uitrea, aut cornea cõuenit. Fictilis etiam, ſi modò rara non ſit, accõmodatur: & lignea, præſertim è buxo: ſed ænea uaſa ocularijs medicamentis liquidisq́;, & omnibus ijs, quæ aceto, pice liquida, aut cedria cõponuntur. Adipem autem & medullas ſtagneis uaſis recondi conuenit.

A



BSINTHII existimatur liquamentum herbæ eoſdem præſtare effectus. Attamen potionibus improbatur, quoniam ſtomachum malè habet, & capitis ciet dolorem. Sunt qui cocta amurca liquamentum adulterant. Dioſc. Abſinthium.

Doſis. Eius decoctum, aut madefacti dilutum, ſeu, ut dicitur, infuſio ſumitur Meſuæ ab uncijs quinq; uſq; ad octo. Puluis à drachmis duabus uſq; ad drachmas tres. Et ſuccus à drachmis tribus uſq; ad quatuor. Sed hic, ut diximus, inutilis ſtomacho capitiq́; eſt. Doſis abſinthij. Eligendum eſt uulgare, quod generis appellatione Abſinthium nuncupatur. Reliquæ enim ſpecies ſtomacho aduerſantur. Atque illud folia candida, læuia & plana habeat, & longè à mari ſit ſemotum, atq; in ſolo libero creſcat. Meſue. Delectus.

Acacia. ACACIA in Aegypto naſcens, habet ſemen lupino ſimile in folliculis. ex quo ſuccus expreſſus ſiccatur in umbra, niger ex maturo ſemine, ſubrufus ex uiridi.

Delectus. Eligatur modicè rufus & odoratus, ut in hac arbore eſſe poteſt. Aliqui exprimunt ex folijs & ſemine ſuccum. Manat & gummi ex ea ſpina. Lauatur oculorũ medicamentis, trito in aqua, mox effuſo quod concreuerat, donec pura extet aqua. & ita cogitur in paſtillos. Vritur etiam in cruda fidelia, donec fictile fornacibus percoquatur: torreturq; in carbonum halitu perflata. Præfertur eius ſpinæ gummi, quod in uermiculorũ ſpeciem contrahatur, & uitri modo perluceat, ligni expers. proximum eſt candidum. ſordidum uerò ac reſinoſum, inutile. Alterum ACACIAE genus in Cappadocia Pontoq; prouenit, Aegyptiæ ſpinæ ſimilitudine, uiribus iam dicto inferius. Dioſc.

Acorum. ACORVM optimum eſt denſum, candidum, plenum carie, non exeſum, odoratum, cuiuſmodi Colchidicum & Galaticum, quod aſpletion dicunt. Dioſc.

Adeps. ADEPS anſerinus aut gallinaceus recens & ſine ſale conditus, ad uuluæ uitia proficit. ſale inueteratus, & qui temporis ſpatio acrimoniam concepit, uuluæ inimicus eſt. Recens exemptis membranis in fictilem ollam demiſſus, quæ altero tantopere capacior ſit, quantus ſit modus adipis, quem curare inſtitueris, obſtructo diligenter uaſe, flagrantiſſimo ſoli exponitur. eliqueſcens inde humor in fictile alterum excolatur, donec adeps omnis abſumatur. mox loco uehemẽter frigido reconditur. & ad uſus digeritur. Alij fictile fulciunt ſuper aquam calidam,

dam, aut tenuem & elanguidam prunã, quæ solis uicem penset. Est & alia curandi ratio: Exemptis membranis teritur, coniectusq; in ollam eliquatur, adiecto minuti salis momento. mox lineo colo transfusus reponitur. Vtiliter in medicamenta additur, quæ laßitudines & fatigationes leuant. Suillus adeps & ursinus hoc curantur modo: Recens, præpinguis, renibus potißimum detractus, in largiore aqua cœlesti & quàm frigidißima, exemptis tunicis, diligentißimè manibus confricatur, & exprimendo fermè siccatur, subindeq; noua aqua abluitur. cæterum fictili capacitatis duplæ inditus, in aquam demergitur, & subditis leuibus prunis spatha mouetur: eliquatusq́;, colo transfunditur in aquam. ubi uerò refrixit, & guttatim aquam omnem exclusit, in prælotum fictile demittitur, & infusa aqua leniter eliquari debet, & manu deprimi, quò facilius fæculentum uirus pessum eat. postea in pilam spongia madefactam transfunditur. ubi coire cœpit, residens in imo sordes eximitur. tertiò citra aquam eliquatur, repurgatusq́;, fictili bene operculato, perquàm frigidis locis reponitur. Hircinũ seuum, ouillum, ceruinumq́; ita curato: Elotum ex his quodcunque, tunicis, ut in suilli mentione dictum est, exemptis, pilæ emolliendum tradito, ac manibus fricato, affusa paulatim aqua, donec ne amplius quidem cruentũ uirus excernatur, aut pingue aliquod innatet, sed nitida spectetur. deinde in ollam fictilem conijcito, & adiecta aqua ut superemineat, leui pruna liquefacito, & moueto, atque in aquam colato. cumq́; refrixerit, iterũ in loto fictili eliquato, & quæ antè diximus facito. tertiò sine aqua

liquefactum, in perfusam liquore pilam colato, refrigeratumq́; , ut in suilli ratione diximus, recõdito. Bubulum autem seuum, renibus maximè detractum, exemptis membranis, aqua marina ex alto petita eluendum est: mox in pila tundendum diligenter, affusa maris aqua. cum uerò dissolutum fuerit, in fictilem ollam conyciendum, & marina aqua, quæ non minus dodrante supereemineat, proluendum. decoquendum donec omnis aboleatur odor, additis ad singulas seui Atticas minas, quaternis Tyrrhenicæ ceræ drachmis. excolatumq́; , detractis quæ pessum ierant sordibus, in nouo fictili reponendum. opertumq́; soli interdiu credendum, ut ad candorem reducatur, & odoris uirus euanescat. Priuatim taurorum pingue sic curari debet: Renibus euulsum pingue profluente amnis aqua abluito, detractisq́; tunicis, fictili nouo, postquam exiguum salem insperseris, liquefacito. dein in nitentem aquam excolato: & ubi concrescere cœpit, manibus iterum confricando uehementer lauato, aqua sæpius infusa refusaq́; , donec quamoptimè elotum uideatur. rursus in olla cum pari modo uini odorati decoquito. & cùm iterum efferbuerit, dempto ab igni uase, ibidem sinito pernoctare. postridie si grauiter adhuc oleat, noua olla repetitum, uino odorato perfundatur. eadem quæ prius fiant, dum omne uirus euanescat. Colliquatur & sine sale, præsertim affectionum earum causa, quibus sal aduersari solet. sed ita paratum non magnopere albescit. Eodem modo pardorum ac leonum pinguia curari oportet. Taurinum autem & uitulinum pingue, necnon ceruinum, atq; etiam huius animalis medulla, odoramen

tis im

tis imbuitur, hac ratione: Pingue quod odoratum reddi debet, demptis, quo diximus modo, membranis, elotum & uino quamodoratißimo nulla maris aqua diluto feruefactum, pernoctare sinitur, alterum id genus uinũ eadem mensura infunditur, colliquatur, & exquisitè colatur. nouemq; eius heminis, iunci Arabici septẽ drachmæ adijciuntur. Quòd si ipsum odoris fragrantioris fieri uoles, quadraginta floris eiusdem drachmæ, cum paribus palmæ, calami, & casiæ modis adduntur, & xylobalsami, aspalathi singulæ drachmæ, cinnamomi, cardamomi, & nardi, singulæ unciæ. omnia exactius tunduntur, & affuso uino odorato, in uase operto, quod supra carbones firmiter collocatum sit, ter efferuescunt, & semoto ab igni uase inibi pernoctant. postridie uinum effunditur, aliudq; generis eiusdem adijcitur. ter simili modo bene conferuescat, deinde matutinis exempto adipe uinum effundatur: & abluto uase, si quid imo subsidens hæsit, detergatur. postremò eliquatum pingue & excolatum, ad usus reconditur. Hoc autem modo odoramentis imbuitur, quod antea curatum est. uerùm antè dicta prius inspissari solent, quò facilius sibi odoramentorum uires adsciscant. Itaq; assumens quodcunq; horũ uoles, cum uino feruefacito, impositis unà myrti ramulis, serpillo, cypero, item aspalatho plenius tuso. aliqui tamen ad hunc usum, uno duntaxat horum contenti sunt. cum autem ter efferbuit, exemptum leniter, & linteo colatũ, aromatis, uti expositum est, imbuitur. Adipibus spissamenta sic fiunt (quemcunq; acceperis, oportet ut recens tundatur) Syncerus & sanguinis expers adeps, reliquas

habens notas quas sæpe retulimus, in ollam nouã demittitur, infuso uino albo, uetere, odorato, quod semipedis altitudinem superet. lento igni ferueſcat, dum uernaculus odor aboleatur, planeq; uinum redoleat. at ubi deposito uase refrixit, duæ adipis minæ in ollam mittuntur, & duo uini eiusdem sextarij, & seminis loti, eius inquã cuius è ligno ludicræ tibiæ factitantur, tusi minæ quatuor adijciuntur. lento igni subinde miscendo decoquuntur. cumq; odoris uirus euanuerit, excolatusq; adeps refrixerit, una contusi aspalathi mina, cum amaracini floris minis quatuor, & uetere uino subigitur. nocte una hæc odorem rapiunt, combibúntue. postridie in fictilem ollam tricongialem ea omnia cum adipe iniecta, additis sextarijs tribus uini, unà feruescunt, quousq; & uim & odorem spissamentorum adeps ipse contraxerit. qui eliquescens colatur, & reponitur. Quòd si maiorem odoris fragrantiam efflagites, drachmas octo quampinguissimæ myrrhæ uino maceratæ, quod multos in annos asseruatum est, misceto. Gallinaceus anserinusq; sic odoribus imbui solent: Cuiusuis eorum percurati sextarij duo fictili olla excipiuntur. erysisceptri, xylobalsami, palmæ elatæ, & calami planè contusi, singulorum sescuncia admiscetur. uini Lesbij ueteris cyathus unus adijcitur. ea ter efferuescunt prunis. mox uase sublato ab igne die noctuq; refrigerantur. postridie liquata per linteum crassum mundum in uas excolãtur. ubi uerò adeps coierit, concha excipitur, fictiliq; nouo densius operto perfrigidis locis reponitur. Hyberno tempore id instituere oportet. æstate siquidem pinguia non coguntur.

Nec

Nec desunt qui Tyrrhenicæ ceræ momentum adijciant, quò facilius in unum corpus omnia coalescant. Eadem ratione suillus adeps & ursinus cæteriq; id genus, odoramentis imbuuntur. Verum sampsuchi odorem adeps ipse repræsentabit hoc modo: Curati quamoptimè adipis, præsertim taurini, mina una, tempestiuiq; sampsuchi exquisitè confracti sesquimina miscentur, & insperso largiore uino digeruntur in offas, quæ in uase cooperto nocte quiescũt. matutinis in fictili olla leuiusculo igni, affusa aqua leuiter coquuntur. dumq; suum adeps odorem exuerit, defæcatus ac bene opertus, nocte tota permanet. postero die detersa sorde quæ pessum ierat, sampsuchi, ut dictum est, contusi iterum sesquimina priori pastillo adijcitur, eodemq; modo in offas cogitur. alijs quæ diximus peractis, decoquitur & colatur. & siqua fundo hæsit spurcitia, deraditur, & frigido loco reconditur. Si quis tamen incuratum adipem anserinum, gallinaceum, aut uitulinum, à putredine tueri uelit, ita faciundum est: Quemuis adipem diligẽter elotum & siccatum in umbra super cribrum per lintea munda manibus uehementer exprimat, linoq; consutum umbroso in loco suspendat. & post multos dies noua charta inuolutum, frigido loco recondat. Pinguia autem indito melle uindicantur à putredinis uitio. Diosc.

AERIS FLOS, quem nonnulli clauorum ueterum psegma, quasi resegmen aut segmentũ, nominarunt, optimus est friabilis, in attritu fuluescens, milij effigie, & numero, breuis, põderosus, modicè splendens, atq; constringens, qui delimatam æris scobem non recepit, qua sæpe Aeris flos.

adulteratur. Sed id facile deprehēditur, cùm dentiū illisu, dilatantur ramenta. Fit autem, cùm æs fornacibus fusum, in receptacula delabitur, per cola fistularum ad ea pertinentium. tum huic negotio addicti ministri, sordes expurgantes, aquam clarißimam infundunt, refrigerandi proposito. Itaq; repentino concretu, ac addensatione, uelut expuitur, & erumpit antedictus flos. Diosc.

Aeris squamma.

AERIS SQVAMMA excussa ex Cyprijs officinarum clauis, crassa quidem ipsa præstātior quæ helitis, id est clauaris, nominatur. sed ex uili promiscuoq; ære, aut candido, uitiosa intelligitur. Quam, utpote tenuē & inualidam, dānamus, maximè approbātes crassam, rufam, præsertim si aceti respersu æruginem cōtrahat. Lauatur hoc modo: Siccæ æris squammæ expurgatæ selibra, cum nitida aqua in mortario manu diligenter conturbatur quousq; pessum ierit. abijcitur quod subsidit, & effusa aqua, hemina cœlestis imbris adijcitur, & distenta manu, squamma, quasi destringenda sit, uehementer confricatur. dumq; lentorem emittere cœperit, aqua sensim ad sex heminas usq; superinfunditur, terendo ualidé. squamma ad latus mortarij colligitur, ibiq; apprimitur. quo facto, expressus humor pyxide ex ære rubro facta, excipitur. hoc est enim uelut flos squammæ, ualens uiribus, & ad ocularia medicamenta cum primis efficax. Inutile imbecillumq; quod superest, lauatur donec nullā prorsus lentitiam excernat, & linteo opertū biduo conquiescere sinitur, effusáque extante aqua, ubi siccatum erit, reconditur pyxidicula. Alij ut cadmiam lauant, & repounnt.

Squammæ ex acie.

SQVAMMAE ex acie, aut mucronibus decussæ,

cussæ, quam uocant stomoma, eadem uis. Lauatur modo simili, & reconditur. Sed ad moliendam alui deiectionem inefficacior est. Diosc.

AES VSTVM probatur rubrum, & quod contritu colore cinnabarim imitetur. nigrum uerò, plus quàm deceat, exustum est. Fit autem è clauis solutarum nauium, fictili crudo cõpositis, subsperso sulphure cum sale pari, omnibus uicißim insparsis, fictile, circumlito figulari creta spiramento, fornacibus inditur, donec figlinum percoquatur. Quidam pro sulphure & sale alumen inspargunt. Alij sine sulphure ac sale, fictili multos dies urũt. Alij sulphure solo utuntur, fuliginem tamen excutiunt. Alij oblitos scißili alumine clauos, cũ sulphure & aceto, fictili crudo cremant. Alij in ænea olla aceto respersos, urunt, & iterum ac tertio idem efficiũt, postea recondunt. Principem locum tenet in Memphide combustum, proximũ in Cypro. Lauatur ut Cadmia, mutata quater die aqua, donec nulla prorsus sordes emergat. Aes vstum.

AERIS SCORIA, id est, recrementũ eodem modo lauatur, & eandem uim sed imbecilliorem habet. Dios. Aeris scoria.

AERVGO rasa fit ijs modis: In cadum aut aliud consimile uas acetum quamacerrimum infunditur. superponitur inde inuersum æneum uas, præsertim concameratum: sin minus, planum. sitq; obstructum, nullumq; habeat spiramentum. exempto, quo doliolum obturaueris, operculo decimum post diem, insidens ærugo deraditur. Aut æris lamina in cadis super acetum ita suspenditur, ne ipsum attingat, & totidem post dies raditur. Aut massula æris, aut lamina una plurés ue, uinaceis non recentibus, Aerugo rasa.

tibus, ſed iam aceſcentibus cõduntur, & ſimili modo uerſantur. Quinetiam ex delimata æris ſcobe æruginem facere licet. nec non è laminis, quibus bracteæ auri concluſæ malleo ducuntur: ſi quis eas aceto reſpargat, & ter aut quater uerſet, donec æruginem contrahant. Tradunt æruginem in Cyprijs metallis gigni, lapidibus quibuſdam nonnihil æris habentibus, quibus ærugo effloreſcit. adduntq; per caniculæ æſtus, è quodam ſpecu manare: ſed illam paucam & optimam eſſe: hanc ſpeluncis effluentem, copioſam quidem, & boni coloris, ſed uitioſam, quòd lapides multos collegerit. Pluribus autem modis adulterant. aliqui pumice admiſto, alij marmore, alij atramento ſutorio. Sed deprehẽdemus pumicem aut marmor, dum pollice ſiniſtræ manus madefacto, æruginis portiunculam altero atterimus. ſiquidem eam diffundi conſtat. marmoris autem pumicisq; partes, coëunt non diſsipatæ, demumq; tractatione crebra & humoris complexu dealbeſcunt. quin & dentium appreſſu. ſiquidem ſyncera cedit, læuis, & ſine aſperitate. Atramentum uerò ſutorium igne coarguitur. nanq; ſi fictile, aut lamina, adulterata ærugine illinatur, & feruenti cinere aut carbonibus incaleſcat alterutrum, mutabitur, rubeſcetq; id quod atramentum ſutorium acceperit: quòd id uſtum ſuapte natura talem ſortitur colorẽ. Aeruginis quam uocant ſcoleciam, duo ſunt genera. quædam foßilis eſt. altera factitia ad hunc modum: In mortario Cyprij æris dimidiam heminam aceti albi acrisq;, piſtillo cupreo conterito, donec ſtrigmenti craßitudinem imitetur. deinde aluminis rotundi drachmam unam, cum ſalis foßitij, translu

translucentis, aut marini quàm albiſsimi, ſolidiq́; aut certè cum nitri pari põdere terito in ſole, æſtuoſiſsimis diebus, ſub ſydus caniculæ, donec colorem æruginis cõtrahat, & concretu ſtrigmentoſum fiat. ubi autem ſe in uermiculorum Rhodiacis ſimilium ſpeciem coëgerit, recondito. Efficax & ualde boni coloris redditur, ſi duas parteis urinæ ueteris, cum una aceti adieceris, & alia, quæ dicta ſunt, peregeris. Sunt qui æruginem raſilem, quæ in apparatu non reſpondit, gummi miſto digerant in formas, & ita uendant. quod genus, ut uitioſum, improbatur. Fit & quædam ærugo ab aurificibus, mortario & piſtillo Cyprij æris, cum urina pueri impubis, qua aurũ ferruminant. Antedicta æruginum genera, uſto æri omnino reſpõdent, ſed magis effectu ualent. Sciendum foſsilem ſcoleciã præſtantiſsimã eſſe: deraſam ſequi: poſtremo loco factitiã. mordaciſsima tamen eſt hæc, & magis adſtringens. aurificũ autẽ ærugo raſæ reſpondet. Dioſc.

AGARICI duo genera. fœmina, quæ præfertur, rectis intus uenarum diſcurſibus conſtat. mas rotundus eſt, & undiq; compactior. Vtriq; guſtus in initio dulcis, mox in amaritudinem tranſit. Gignitur in Sarmatiæ regione, quæ Agaria dicitur. Dioſc. Agarico fœminæ quinq; has præcipuè dotes ex ſapientum opinione tribuit Meſue, nempe ut ſit albus, læuis, friabilis, admodũ rarus. Paulus eligendum conſulit albiſsimum, quod facillimè frangatur, nec ſit ualde lignoſum, aut perforatum. Noſtri quoq; pharmacopolæ unum bonitatis indicium eſſe affirmant in Agarico, cùm eſt friabile. Dioſcorides tamẽ infirmum illud Agaricum eſſe dicit, quod

Agaricum.

Delectus.

Dioſcorides.

friab

friabile est. Cuiusmodi esse adfirmat, quod in Galatia & Cilicia in cedris gignitur. Leuißimum, optimum: densum, graue & lignosum, deterrimum lib. de Antidotis Gal. Mari pariter & fœminæ commune est, ut in primo gustu dulce appareat. Contriti Agarici potio est Mesuæ à drachma una usq; ad duas. Eiusdẽ uero decocti seu infusionis (ut loquitur) dosis est eidem à drachmis duabus usq; ad quatuor. Datur obolis quatuor contritũ, Plinio, ex aceto mulso. Aëtius drachmas duas ex oxymelite uel melicrato propinat. Dioscor. modò obolos duos, modò tres: modò drachmã unã, modò duas exhibet, pro uiribus, ætate, & morbi ratione: nunc ex aqua, nunc ex uino: his ex aceto mulso, alijs ex aqua mulsa. Mesue.

Mali agarici notæ.

Dosis.

Alcyonium.

ALCYONII quinque esse genera compertum est. unum enim spissum, acerbi saporis, spongiosa facie, item tetri odoris, ponderosum, & piscem olens, quod plurimum in litoribus inuenitur. alterum pinnulæ oculorum aut spongiæ simile, fistulosum, & leue, odorem algæ referens. tertium uermiculi forma, & colore magis purpureum, quod Milesium quidam uocant. quartum succidis uelleribus non dißimile, multis inanitatibus hians, leue. quintum figura fungi, sine odore, asperum, parte interna quodam modo pumicosum, foris læue, acre. quod plurimum in propontide iuxta insulam Besbicon appellatã gignitur, patrio nomine halos achnen uocant. Si quisquã alcyonium cremare uelit, cum sale in crudum fictile mittat, & oblinens uasis spiraculum luto, ita fornaci mandet, & cùm figlinũ percoctum fuerit, extrahens ad usus recondat. Lauatur, ut Cadmia. Diosc.

ALOE *plurima præpinguisq; in India gignitur, ex qua coactus succus adfertur. Nascitur etiam in Asia & Arabia, in locis quibusdam maritimis: & in insulis, ut in Andro, non ualde succo extrahendo idonea, sed ad glutinanda uulnera sanè quàm utilis, si detrita illinatur. Duo succi genera. quoddam arenosum, quod sedimentũ purißimæ esse uidetur. alterum ad iocineris imaginem uergit. Eligi debet boni odoris, syncera, quæ nihil doli sensit, nitida, calculorum expers, rufi coloris, friabilis, ac iocineris modo coacta, facilè liquescens, eximiæ amaritudinis. improbatur nigra & fractu contumax. Gummi eam adulterant. quod deprehenditur gustu, amaritudine, & ualido odore. eoq; argumento, quòd digitis friata non ad minima usq; frusta resoluitur. Nec desunt qui acaciam immisceant. Oculorum medicamentis torretur, in munda & candenti testa, pennaq; subinde uersatur, ut poßit æqualiter torreri. Lauatur, ut quod sit arenosißimum, tanquam inutile subsidat, & leue ac pinguißimum assumatur. Diosc.* Aloë. Delectus.

Optima Aloë censetur, Optimæ aloes notæ.

Pinguis.
Nitida, splendida ac syncera.
Calculorum expers, Diosc. & Aëtio. hoc est non lapidosa aut arenosa.
Iocineris modo coacta. Diosc. densa Aëtio.
Iocineris colore & subfulua, Aëtio.
Ruffi coloris, Diosco. aliàs subflaua.
Facile liquescens, seu humescens.
Friabilis.
Odorata.
Eximiæ amaritudinis. id est, amarissima.

Sapo

Saporis etiam parum astringentis, Galeno.
Nigram duram, fractu contumacem, tanquam improbam atque inutilem reijcito.

Dosis. *Dosis Aloës in substantia Mesuæ est ab aureo uno ad drachmas duas. Maceratæ uerò Aloës portio eidem est ab aureo uno usque ad drachmas tres. Aëtius drachmas duas Aloës exhibet cum melicrato, uel tres aut quinque pilulas, citrij uel braßicæ succo exceptas, magnitudine ciceris, his qui ea opus habent. Aliqui à drachmis duabus ad quatuor exhibent. Mesue.*

Alumen. *Omne* ALVMINIS *genus ferè in Aegypto, & in eisdem metallis inuenitur. etenim scißile quoddam, quasi flos glebosi intelligitur. Gignitur & in alijs quibusdam locis, in Melo, in Macedonia, in Liparis, Sardinia, Hierapoli Phrygiæ, Aphrica, Armenia, & plerisq; alijs regionibus, sicut & rubrica. Plurimæ eius species. uerùm ad medendi usum, scißile, rotundum, & liquidum expetuntur. Optimum est scißile, præsertim recens, candidißimum, gustu perquàm adstringens, graue olens, calculorũ expers, nec glebulose aut assulose compactum, sed sigillatim in capillamenta quædam canescẽtia dehiscens, quale est quod trichites, quasi capillare nominatur, in Aegypto natum. Reperitur quoq; lapis huic alumini persimilis, qui gustus iudicio dignoscitur, quòd non adstringat. Damnatur in rotundi genere, quod manu confictum est. sed ex figura deprehenditur. Assumendum autẽ suapte natura rotundum, bullis turgens, albo propius, atq; ualidius adstringens, præterea nonnihil palloris cũ quadam pinguitudine præ se ferens, sine arenis, friabile, natione*

tione

tione Aegyptium, aut ex insula Melo. Liquidi probatio, ut sit lympidum, lacteum, æquale, & semper succo madens, sine lapidibus, atq; quendam coloris igniculum expirans. Diosc.

AMMONIACVM ferulæ succus est, quam iuxta Cyrenen Aphrica gignit. cuius fruticem cum radice agasyllim uocant. Probatur bene coloratum, ligni & calculorum expers, thuris similitudine, minutis glebis, densum, syncerum, nulla sorde spurcatum, castoreum odore imitans, gustu amarum. hoc genus thrausma, id est friaturam, appellant: quod uerò terram & calculos collegit, phyrama. gignitur in Aphrica iuxta Ammonis oraculum, succum stillante ferulacea arbore. Diosc. Ammoniacū

AMOMVM exiguè fruticat, ex ligno se conuoluens in racemi modum: flore, ceu candidæ uiolæ, paruo: folijs uitis albæ similibus. Laudatur quammaximè Armeniacum, fuluo auri colore, ligno subrufo, ualde odorato. Medicum, quoniam in campestribus & aquosis enascitur, infirmius esse constat. Est autem magnum, subuiride, tactu tenerum, frutice uenoso, odore origani. Ponticum uerò subrufum, paruum, fragile, racemosum, fructu turgens, & odore nares feriens. Deligito recens, candidum uel subrubrum, quod nec astrictum cohæreat, nec conuoluatur, sed solutum diffundatur, seminis plenum, uuis paruis simile, graue, odoratum, modò cariem non cõtraxerit, acre, gustu mordens, simplici colore non euariante. Adulteratur herba amomo simili, quæ Amomis uocatur, sed sine odore, sine fructu. Nascitur in Armenia, flore origani. Quare in huiuscemodi probatio- Amomum. Electio. Amomis.

nibus fragmenta fugienda sunt: eligenda autem, quæ ab una radice integros surculos emittunt. Diosc.

Amurca. AMVRCA expressæ oliuæ recrementum est. decocta in cupreo uase ad craßitudinem mellis adstringit, cæteros præbens lycij effectus, insuperq; alios. Diosc.

Amygdalæ dulces. AMYGDALAE dulces cibo idoneæ: sed multo minus ualent in remedijs quàm amaræ. Diosc.

Amylum. AMYLVM ex eo appellatū est, quòd sine mola fiat. Optimum ex trimestri, natione Creticum aut Aegyptiū. Ratio faciundi amyli hæc est: Purgatum trimestre triticum madescit quinquies die, & si fieri potest, nocte. cum emollitū fuerit, effunditur sensim, sine agitatione, aqua: quò minus cremor utilis unà excludatur. ubi mollißimū esse uidetur, mutata aqua pedibus calcari oportet. rursus infusa, teri. tum demum enatantes ibi furfures in cerniculo eximendi. reliquumq; quallo sportisq; siccatū tegulis nouis confestim torreatur flagrantißimo in sole. nanq; si paulisper udum maneat, acorē concipit. Fit etiā amylū ex zea, quæ maceratur, ac eluitur uno aut altero die, & subactæ farinæ modo manibus subigitur. pressaq; feruentißimo in sole, ut antè retulimus, exiccatur, nullius in medicina usus. ad alia tamen cōueniens. Diosc.

Anisum. ANISVM melius semper recens, plenum, non furfurosum, odore præstans. inter prima laudatum est Creticum, proximo loco Aegyptium. Diosc.

Aqua. De AQVIS in uniuersum decernere, propter locorum proprietates, & peculiares naturas, cœlum, & alia pleraque, difficile est. Magna tamen ex parte optima est dulcis, syncera, nullius omnino qualitatis particeps. &

quæ

quæ ne minimo quidem tempore in præcordijs cõmoratur. ad hæc, quæ & facili uia fertur, & citra molestiã, nec inflationes creat, & minime computrescit. Diosc.

ARGENTI spuma quædã gignitur ex arena, quam molybditin uocant, in fornacibus conflata, donec perfectè igni incandescat. altera ex argẽto. tertia ex plumbo. Probatißima est Attica. secunda Hispaniensis. has sequitur quæ fit Dicæarchiæ, id est Puteolis, Baijs, in Campania, & Sicilia. plurima enim hisce locis è flagrantibus laminis plumbeis gignitur. Quæ flauo colore splendet, chrysitis appellatur omnium optima: quæ in Sicilia, argyritis: quæ ex argento, calabritis. Vritur argenti spuma, confractis partibus ad magnitudinem iuglandiũ, prunæ superpositis: ita accensa follibus, ut conflagret, abstergitur insidens spurcitia, & reconditur. Aliqui ter aceto aut uino restinguẽtes, rursus urunt, & eadem prosequuti, reponunt. Lauatur ut cadmia. Vt argyritidi nominatæ, aut, si desideretur, alteri candor detur, ea in parteis magnitudine fabarum confracta, chœnicis atticæ mensura, fictili nouo superfusa aqua, addito candidi tritici pari põdere, priuatimq; pugillo hordei, linteolo puro, raro, ansulis uasis alligato, coquitur, donec hordeum fractum dißiliat. deinde omnia in nouũ craterem oris ampli trãsfunduntur. triticum abijcitur. spuma argenti uehemẽter manibus affricando infusa aqua lauatur, aßiccatáque in Thebaico mortario teritur, affusa feruente aqua, donec soluta fatiscat. excolata aqua, iterum tota die teritur, & uesperi infusa calida aqua sinitur. mane colis excernitur, alia infunditur, atque ter die excolatur. id septem diebus Argenti spuma.

fieri solet. postea additis ad singulas minas spumæ argen
ti, quinis salis foßilis drachmis, infusaq; calida aqua, ter
die teritur, & addita aqua excolatur. cumq; inalbuerit,
calida infusa, idem facito, dum nullam prorsus salsedinē
resipiat. demum ardētißimo sole siccata: eiecto prius hu
more, reconditur. Sin minus, mina spumæ argyritidis di
ligenter teritur, addito sale foßili trito, triplicato ponde
re, in fictile nouum conijcitur, aqua infunditur, ita ut su=
peremineat. mouetur quotidie mane & uesperi, aquáque
superinfunditur, priore nequaquam effusa. hoc fit trigin
ta diebus. nanq; nisi moueatur, crassescit, usq; in duritiē
testæ. Post hæc effusa leniter muria, in Thebaico morta
rio spuma argenti teritur, coniectaq; in fictile aquā con=
tinens, manibus diligēter agitatur, mutata subinde aqua,
donec nullum salsuginis indicium præbeat. deinde quod
ex argenti spuma candidum apparet, in uas aliud trans=
fertur, & redactum in pastillos, plumbea pyxide condi
tur. Alij spumam argenti in fabarum magnitudines con
fractam, in uentre suillo crudo ex aqua coquunt, dum ui
scus eliquescens contabescat, exemptamq; cum sale pari
terunt, & ut suprà dictum est lauant. Sunt qui salis li=
bram unam, & spumæ argenti tantundem, in sole terāt,
aqua continuè mutata, dum candor ei detur. Alia ratio:
Sumito quantā uis argenti spumam: ubi lana candida in=
uolueris, fictili nouo indita aqua, cum pugillo fabarum
recentium repurgatarumq; decoquito. Cumq; fabæ dis=
ruptæ dehiscent, lanaq; non denigretur, exemptā argen
ti spumam, & altera lana inuolutā, iterum coquito, cya=
thum aquæ & parem fabarum modum adijciens. eadem
tertio,

tertio, quæ suprà, facito. in summa, tantisper, dum lana iam non inficiatur. Insuper transfundens in mortarium, ad singulas salis foßitij libras, adycito octogenas spumæ argenti drachmas Atticas, & terito: intermittensq́; nitri quàm albißimi cum aqua diluti drachmas quadragintaseptem indito. iterum terito, donec satis candoris contraxisse uideatur. ita autem fundens eam ex alto in fictile oris ampli, adiecta largiore aqua, ubi considere desierit, colato. tum nouam superadijciens aquam, manibus probè uersatam, sinito ut considat, ac rursus per colum traijcito. alternis eadem prosequere, dum pura aqua dulcisq; effluat, & nullam salsedinem præ se ferat. postremò in fictile nouum translatam, colato sensim omni humore, soli quadraginta diebus, sub caniculæ sydus exponito, & siccata utitor. Elotam autem constat ad oculorum collyria prodesse, & ad cicatricum fœditates tollendas, ad rugosas facies, et cicatricosas, laceratasq́;, & macularum plenas. Diosc.

ARGENTVM uiuum fit ex minio, quod abusiuè cinnabaris dicitur, patinis fictilibus, imposita ferrea concha cinnabarin cõtinente, & calice cooperta, argilla superlita, carbonibus succendunt. siquidem detersa fuligo, quæ calici insidet, refrigerata in argentum uiuum coit. Quinetiam inuenitur in argenti fodinarum tectis, stillatim concretum. Alij per sese in metallis inueniri tradũt. Seruatur in uitreis, aut plumbeis, aut stagneis, aut argenteis uasis. siquidem aliam materiam omnem exedit, & defluere facit. Diosc. Argentum uiuum.

ARISTOLOCHIARVM radices effodere meßi- Aristolochia

bus est tempestiuum, ita desquammato terreno seruantur. Quinque aut sex annos durant. Maxime cõmendatur Pontica, & in uno quoq; genere ponderosißima. Quæ oblonga radice, tenuioriq; est, gratior habetur: car nosi enim est corticis, unguentis quoq; nardinis conuenientißime dicata. Dosis Aristolochiæ Mesuæ est, à drachma una usq; ad aureum unum. Aëtius seminis Aristolochiæ surculosæ exiccati drachmam unam propinat, ad bilem pituitamq; expurgandam. Mes.

Delectus.

Dosis.

Armenius lapis.

ARMENIVM optimum esse Plinius dicit, quod maximè uiret, communicato colore cum cœruleo. Dioscorid. laudat Armenium, qui sit læuis, colore cœruleo, perquàm æquabilis, calculo carens, & friabilis. Eadem quæ Chrysocolla præstat, sed inefficacius. Aëtius scrupulos quatuor eiusmodi lapidis offert. Alexander illoti scrupulos tres uel quatuor: loti uero quinque uel sex exhibet. Vult autem ut quinquagesies abluatur. Verumenimuero tutius iuxta Galeni sententiam fuerit, toties ipsum lauare, aquamq; tandiu mutare, donec pura ab omni sorde uideatur, omniq; sapore medicamenti careat. Quod Galeni documentum non tantum peculiariter de hoc lapide à Pharmacopola accipiendum est, sed in uniuersum de quauis re lapidosa quæ sit abluenda. Cæterum nõ loti potio est Mesuæ à drachma semis, usq; ad sesquidrachmam, loti uero à drachma una usque ad drachmas duas. Mesue.

Dosis Armenici lapidis.

Galeni documentũ de lapidibus abluendis.

Asarum.

ASARVM aluum instar albi Ellebori deijcit senis drachmis pota ex aqua mulsa. Eius autem infusionis potio est Mesuæ ab aureis duobus, usq; ad drachmas quatuor:

Dosis.

tuor: & pulueris à drachma una usque ad aureos duos. Si autem ad exactum læuorem ac curiose teratur, magis per urinas purgat, quàm per aluum. Idem auctor radicem hanc Asaron Græcis nuncupatã, præfert quæ crassa & densa sit, iucundo odore, & sapore acri cum modica stypticitate. Optimum autem Asarum, nasci ait Plinius in Ponto. proximum in Phrygia. tertium in Illyrico. Mesue. Electio.

ASIVS lapis assumi debet pumicis colore, leuis, fungosus, item friabilis, scissiles uenas lutei coloris ad imum actas habens. Eius flos, salsugo subflaua est, summo lapide insidens, compage tenui, colore in aliquibus albo, in alijs pumici simuli, ad luteum uergente. admotus linguæ aliquantũ mordet. Lõgè ualidior est lapide. Diosc. Asius lapis.

ASPALATHVS spinosus frutex nascitur in Istro, Nisyro, Syria, & Rhodiorum insula. quo ad unguentorum spissamẽta unguentarij utuntur. Optimus est grauis, detracto cortice rubens, aut in purpuram uergens, densus, odoratus, gustatu amarus. Est & alterum genus candidum, lignosum, sine odore, quod deterius habetur. Dioscorides. Aspalathus. Delectus.

ATRAMENTVM quo scribimus, fuligine è tedis coacta colligitur. in singulas libras gũmis, ternæ fuliginis unciæ adijciuntur. Fit etiam è resinarum & pictoria fuligine, de qua paulo antè diximus. Assumitur autem fuliginis mina, gummis sesquilibra, glutinis taurini, atramenti sutorij, singulorum sescuncia. Dioscorides. Atramentũ librarium.

ATRAMENTVM sutorium genere quidem unum & idem est, molle & concretum: sed in specie differen Atramentũ sutorium.

tias treis habet. unum nanque humoribus stillatim in cuniculos quosdam colatus, concrescit. quare ab ijs qui Cypria metalla perficiunt, stillatitium appellatur. Peteesius ipsum pinarion uocat, alij stalacticon, id est stillatitium, alterum simplici ratione fit in speluncis: postea transfusum in excauatos scrobes, concrementum capeßit. quod pecton, id est concretitium, propriè nominatur. tertium dicitur coctile, & in Hispania fieri solet. sed inutile, ac inualidißimum esse constat. Ratio parandi hæc est: Aqua madefactum decoquunt, mox in piscinas transfundunt, & residere patiuntur. hoc certis diebus coalescit, in complureis formulas digestum, tesserarum speciem reddentes, quæ racematim inter se cohærescunt. Optimum esse creditur, cœruleum, graue, concretum, translucens. cuiusmodi stillatitium est, ab alijs lonchoton nominatum. proximum, concretitium. coctile uerò ad infectus & denigrationes, aptius cæteris esse cõpertum est. sed ad medicinæ usum inualidius esse, experimenta docent. Vritur, ut paulo post in mentione chalcitis ostendemus. Dioscorides.

Auripigmentum.

AVRIPIGMENTVM in eisdem metallis, quibus sandaracha, gignitur. Optimum existimatur crustosum, aureo colore micans, nulli materiæ permistum, in squammas fißile, quale in Mysia Hellesponti nascitur. Huius duo genera fluxerunt. unum suprà dictum est. alterum glandis effigie, pallidum, & colore sandarachã imitans, glebosum, ex Ponto & Cappadocia defertur. quod etiã secundum locum tenet. Torretur in testa noua uiuis carbonibus subiectis: aßiduoq; uersatur, donec igne flagret,

gret, & mutet colorem. deinde refrigeratum, tritumq́; reconditur.

B



ALANVS myrepsice, hoc est glans unguẽtaria, præfertur Dioscoridi, recens, & farcta, item cãdida, & quæ facile à putaminibus soluitur, id est, quæ suo cortice facile spoliatur. Plinius Petream, id est ex oppido quod Petram uocant, optimam esse dicit, nigro cortice, & candido nucleo. Errat Mesue qui Ben antiquum dicit melius esse recenti. Glans unguentaria aluum soluit ex hydromelite, Dioscoridi, sed stomacho aduersatur. Drachmæ pondere pota eidem auctori lienem absumit. Dosis eius est Mesuæ à drachma semis usq; ad drachmam unam & semis. Oleum quoque quod ex ea exprimitur, uentrem potu ciet.

Balanus myrepsice.
Delectus Ben.
Glans vnguẽtaria.
Dosis.

BALSAMVM in Iudæa solum quadã ualle & Aegypto nascitur. his differens modis, scabritia, proceritate, gracilitate. Quod igitur tenui & capillacea coma est, theristrum uocant, quasi demeßile. fortaßis quoniã ob gracilitatem facilè demetatur. Aestiuis sub ortu Canis ardoribus, arbos unguibus ferreis inciditur, manatq́; è plaga succus, quem opobalsamum uocant: sed tam exiguo stillatu, ut annis singulis, ne plures quidem quàm seni septeniue cõgij cogantur. inibiq́; pondus, duplo rependitur argento. Succi probatio est, ut sit recens, ualidi odoris, syncerus, non ad acorem uergens, dilui faci-

Balsamum.

lis, læuis, astringens, ac modicè mordens gustu. Sed uariè uitiatur, misto ab aliquibus terebinthi, cypri, lentisci, balani unguento: item susino, metopio, melle, aut Cypria cera liquida. quod maleficium facilè deprehenditur. Nanque merus in laneam uestem fusus, neque maculam facit, neque si eluatur notam relinquit: uitiatus autem inhæret. & lac instillatus coagulat, quod adulteratus non efficit. Quinetiam syncerus in aqua aut lacte celerrime liquatur, coloreq; lactescit: uitiatus uerò olei modo innatat, se conuoluens, aut in stellæ modum diffundens. Syncerus senescens crassescit, deteriorq; redditur. Hallucinantur, qui aqua concretum pessum ire, & ad ima sidere arbitrantur, postea dißipatum supernatare. E ligni genere, quod xylobalsamum uocant, probatur recens, sarmento tenui, fuluum, odoratum, quadam tenus opobalsamum spirans. Necessarius etiam seminis erumpit usus. quare eligatur flauum, plenum, grande, ponderosum, mordens gustu, feruens in ore, modicè opobalsamum olens. Adulteratur semine hyperico simili, quod à Petra oppido defertur. Sed coarguitur magnitudine, inanitate, uirium ignauia, sapore piperis. Diosc.

Bdellium.

BDELLIVM alij bolchon appellant, alij madelcon. lachryma est Saracenitæ arboris. probatur gustu amarum, translucidum, taurini glutinis in morem, intus pingue, liquescens facile, ligni ac sordis expers, suffitu odoratum, ungui simile. Est etiamnum bdellij genus sordidum, nigrum, uberioribus glebulis in offas cõuolutum, aspalathi odore, ex India aduectum. defertur etiam à Petra oppido siccum, resinosum, liuescens, sed facultate secundum,

cundum. Adulteratur gummi. sed ita uitiatum non perinde gustui amaritudinem repræsentat, nec usque adeò suffitionibus odoratum. Diosc.

BITVMEN Iudaicum cæteris anteponitur. Cuius probatio est, ut purpuræ modo splendeat, sitq; ponderosum, ac ualidum odorem uibret. nigrum autem & sordidum, uitiosum est. Adulteratur pice. Gignitur in Phœnice, Babylone, Zacyntho, & Sydone. Liquidum inuenitur in Agragantino Siciliæ, fontibus innatans. quo utuntur ad lucernarum lumina, olei uice. Hallucinantur qui id Sicilicum oleum nominant. nanque liquidi bituminis genus esse constat. Dioscorides. Bitumen. Delectus.

BRYONIAE radicis succus exprimitur Vere. Bryonia.

Dosis radicis Fescerae seu Alfescerae, hoc est uitis albæ, præscribitur Mesuæ ab aureo uno usque ad aureos duos: & succi eiusdem, à drachma una, usque ad drachmas duas. similiter & Fesceresin, quæ eidem factionis Arabicæ auctori species est Alfesceræ. Mesue. Dosis Alfesceræ, id est Bryoniæ.

BRITANICAE folijs exprimitur succus, qui igni aut sole cogitur. Dioscorides. Britanica.

Simili modo ut cantharides, reconduntur BVPRESTES, genera quædam cantharidum: & PINORVM erucæ. quæ supra cribrum suspensum feruēti cinere paulisper intostæ, reponuntur. Dioscorides. Buprestes: & Pinorum erucæ.

BVTYRI fuligo. Colligendæ ex eo fuliginis ratio hæc est: Butyrum in lucernam nouam ingestum accenditur, fictiliq; operculato quod supernè in siphūculi speciem desinat, & infima parte cuniculos clibani modo habeat, crematur. & subinde aliud in absumpti locum Butyri fuligo

suffi-

ſufficitur, dum coaceruetur fuliginis modus, quem facere inſtitueris. penna poſt deraditur ad uſus. Dioſc.

C

Cadmia.



ADMIAE *ex generibus optima eſt* Cypria, *botryitis nomine, denſa, modicè grauis, & in leuitatem magis declinans, racemoſa facie, colore ſpodij, quæ fracta cinerulenta eſt, & æruginoſa.* Proxima habetur *foris cœrulea, intus candidior, internatis uenarum diſcurſibus, onychitæ lapidi ſimilis. cuiuſmodi ſunt, quæ è ueteribus metallis effodiuntur.* Quædam etiam placodes, *id eſt cruſtoſa, dicitur, ſegmentis quibuſdam perinde quaſi zonis cincta, ob quod eam zonitin appellauere.* Alia *oſtracitis nominatur, gracilis, & magna ex parte nigra. ſed quæ teſtaceam faciem habet, terram amplexa eſt.* Improbatur *candida.* Oculorum *medicamentis botryitis nomine, & onychitis, utiles : reliquæ ad emplaſtra, & farinas quæ cicatricibus inducendis inſparguntur. ad eadem* Cypria *prodeſt.* ex Macedonia *uerò,* Thracia, *&* Hiſpania *delatæ improbantur.* Gignitur *cadmia ex ære in fornacibus candente, fuligine egeſta flatu, & lateribus camerisq́; fornacum inhærente.* Prægrandes *autem ac ferreæ ſunt rudes, ab officinis appellatæ aceſtides, per ſumma faſtigia cõnexæ & concameratæ, ut quæ ab ære iactantur ſurſum corpuſcula cohæreant, & inibi detineantur. quæ cùm ſpiſsius inſident, in corpus cõcreſcunt, & modò ge*

dò genus unum eius, modò duo, modò omnia perficiunt. Extrahitur & cadmia in Cypro è monte qui Solis incũbit, cremato lapide cui pyritæ cognomen est. in quo etiã monte quædam quasi uenæ chalcitis, misyos, soreos, melanteriæ, cœrulei, chrysocollæ, atramenti sutorij, diphrygisq; inueniuntur. Nec desunt qui cadmiam in lapidum fodinis inueniri tradãt, falsi quadam lapidum cognatione. qualis inuenitur & apud Cumas lapis, nullã sui uim ostendens. Ii eo deprehenduntur, quòd sunt cadmia leuiores, nullumq; alienum mandentibus saporẽ exhibent. commanducatus item lapis, dentes offendit. cadmia, utpote cum cedat, esum non respuit. Alio autem discerni possunt argumento: Cadmia in farinam detrita, & aceto subacta, atque in sole siccata, coit. quod in lapide non accidit. Item tritus & igni appositus lapis, prosilit, & fumum igni similem eiaculatur. cadmia uerò quieta manet, fuliginemq; luteo colore aut æreo splendentem expuit, uario zonarum discursu. Insuper lapis ignem expertus, atque refrigeratus, colorem mutabit, ac leuior multo fiet. sed cadmia nihil euariat, nisi quis eam multis diebus cremauerit. Fit & in argenti fornacibus candidior, ac minus ponderosa, sed uiribus nequaquam comparanda ærariæ. Vritur cadmia superior carbonibus obruta, donec translucida spectetur, & ferrei stercoris modo bullet. mox extinguitur uino Aminæo, quæ ad emplastra præparatur: sed quæ ad psorarum medicamenta præparatur, aceto. Alij hoc modo exustam conterunt in uino, rursumq; fictili crudo torrent, donec pumicosa uideatur. iterumq; tritam ex uino, tertiò urunt,

donec

donec prorſus in cinerem redigatur, nihil ſcabritiæ retinẽs. hoc ſpodij uice utuntur. Lauatur autem in mortario trita, effuſa ſubinde aqua, dum ſordidum nihil emergat. dein coacta in paſtillos, reponitur. Dioſc.

Calam⁹ odoratus. CALAMVS odoratus in India naſcitur. melior eſt fuluus, denſe geniculatus, & qui aſſuloſe frangitur, plena araneorum fiſtula, albicans, lentus in mandendo, & aſtringens, ac cum aliquanta acrimonia amarus. Dioſc.

Calx uiua. CALX uiua hoc modo fit: Marinorum buccinorum teſtas igni condito, aut feruenti clibano, nocte dimittito: poſtera die, ſi candidiſsimæ fuerint, extrahito: ſin aliter, iterum urito, uſque dum penitus albeſcant. Frigida deinde reſtinctas nouo fictili indito, diligenterq́; uetere lacinia operculatas, integram noctem ſinito. Poſtridie ſi omnino in calcem mutatæ uidebuntur, reponito. Fit etiã coctis fluuiatilibus calculis: item ex uulgari albo lapide, reliquis laudatior. Efficaciſsima recens, & aquis nondum aſperſa. Dioſc.

Cantharides. E frumentis congeſtæ CANTARIDES ad recondendum idoneæ ſunt. quæ fictili uaſe non picato cõduntur, & raro linteo obligato ore, & deorſum conuerſo ſuſpenduntur ſuper aceti feruentis quàmacerrimi halitum, donec æſtu exanimentur. poſtea lino transfixæ reponuntur. Potentiſsimæ omnes uariæ, luteis lineis, quas in pennis tranſuerſas habent. promiſſoq́; corpore, craſſæ ac blattarum modo perpingues. ſed inertes ac imbecillæ, quæ unius ſunt coloris. Dioſcorides. Aliqui pennas pedesq́; contra potarum ueneficia, remedio eſſe tradiderunt.

Carda

CARDAMOMVM *optimum eſt, quod ex Comagene, Armenia, Boſphoroq́; deuehitur. In India quoque & Arabia prouenit. Eligi debet plenum, frangenti contumax, occluſum, farctumq́;. Quod enim huiuſmodi non eſt, exoletum iudicatur, & guſtu acre, ſubamarum, & odore caput tentans. Dioſc.* Cardamomum.

CASIA, *cuius complura ſunt genera, iuxta odoriferam Arabiam gignitur, craßi corticis ſarmento, folijs piperis. Eligenda eſt fulueſcens, pulchri coloris, coralij æmula, perquàm anguſta, longa, craſſa, & fiſtuloſa, guſtu mordens, & cum aliquanto feruore aſtringens, aromatica, uinoſo odore. cuiuſmodi eſt quæ ab incolis, achy appellatur: ab Alexandriæ negotiatoribus, daphnitis. Huic præfertur craſſa, purpurea, & nigricans, zigir cognomine, quæ roſam odore imitatur præcipui in medicinæ uſus. Secundum locũ tenet antedicta. Tertia, cui moſyletico blaſto, id eſt germini cognomen eſt. Reliquæ uiles, ut quæ aſymphemon dicitur, nigra, inſuauis, cortice tenui ac rimoſo: & quæ darca, & kittò uocitantur barbaro nomine. Similior huic eſt* PSEVDOCASIA, *quàm ut explicari poßit, quæ guſtu coarguitur, cum nec acris, nec odorata ſit, hærentemq́; medullæ corticem habeat. Inuenitur etiam lata quædam fiſtula, mollis, leuis, ſurculoſa, quæ antedictæ præfertur. Damnatur candicans, ſcabra, hircinum uirus redolens, & quæ tenui fiſtula & ſcabra cute ſit. Dioſc.* Caſia. Pſeudocaſia.

CASIA fiſtularis, quam Græci veteres ignorarunt.

Siliquas CASIAE *deligere oportet ponderoſas, collu-* Caſia fiſtularis.

collucentes, perplenas: quas si concusseris, inclusa intus
Dosis. grana non obstrepant. Dosis medullæ Casiæ, est à semuncia ad sescunciam, id est unciam unam & semis. Mesue.

Castorium. CASTORIS eligi debent testes qui ex uno ortu connexi sunt (fieri enim non potest, ut gemini folliculi in una membrana coniuncti reperiantur) liquore intus ueluti ceroso, odore graui, & uirus redolente, gustu acri, mordente, ac friabili, naturalibus tunicis circundato. Quem fraude aliqui corrũpunt, conijciẽtes in follem gummi, aut ammoniacũ cum sanguine & castorio subactum, & ita exiccantes. Vanum est quod traditur, testes ab ipsis euelli, & à sese abijci, quum uenatu urgentur. siquidem tangi nequeunt, ita, ut in sue, substricti. Operæ autem precium est, diuisa pelle melleum liquorem cum euestiẽte tunica assumere, & siccatũ potui dare. Diosc.

Cedrus, & Cedria. CEDRVS arbor magna est, ex qua picem colligũt, quæ CEDRIA uocatur. Cedria optima est crassa, perlucida, grauis odoris. quæ dum effunditur, guttatim non dißipata coit. Fuliginem, quomodo ex pice, congeri oportet. quæ eandem quam picea fuligo uim præbet. Fit & oleum, à cedria separatum, dum coquitur, uelleribus supra halitum eius expansis, ut in pice. Eiusdem ad omnia usus. Diosc.

Centaurium magnum. CENTAVRII magni succum in Lycia exprimunt, quo pro lycio utuntur. Diosc.

Centaurium minus. CENTAVRII minoris succi extrahẽdi ratio: Legitur herba semine prægnans, & diebus quinque madefacta, decoquitur donec supereemineat aquæ. mox ubi refri-

refrixit, linteolo exprimitur. & iecta herba, iterũ decoquitur, usque dum mellis craßitudinem habeat. Nonnulli eam recentem grauidamq́; contundunt, atque succum fictili non picato exprimunt, & in sole, lignea rude aßiduè mouentes, inspissant. quòd si quid concretum faucibus uasis adhærescat, deradunt, reliquoq́; humori permiscent, noctu diligenter operiũt. nanq; ros nocturnus, liquores coalescere non sinit. Quæ autem siccis radicibus aut herbis liquamenta exprimuntur, decocta, ut in gentianæ mentione retulimus, præparantur. sed quæ ex corticibus humidis, aut contusis herbis factitantur, in sole, uti antè dictum est, coguntur. sic è thapsia, sic è mandragora, reliquisq́; similibus succus, sic ex acerbis uuis melligo elicitur. lycium tamen & absinthium, hypocistis & consimilia, decocta, eo quo diximus modo, coguntur. Dioscorid. Purgat aluũ drachmæ pondere sumptum in hemina aquæ, cum exiguo salis, & aceti: bilemq́; & crassos humores per aluum exigit. Maioris uero Centaurij radix duabus drachmis, & interdum drachma una bibitur Dioscoridi & Galeno. si febris sit, in aqua trita: cæteris, in uino. Medetur & morbis plurimis decoctæ succus. Mesue. Quod ad electionem attinet, falsum est quod scribit Mesue: Nempe minorem Centauream meliorem esse in omni re. Alia enim in re utraque prestantior est. Tagautius.

Dosis vtriusque cẽtaurij.

Electio.

CERA optima est subfulua, suppinguis, pura, odorata, & halitum quadam tenus melleum referens, natione Pontica, aut Cretica. secundum locum obtinet candicans, & suapte natura pinguis. Candida fit hoc modo:

Cera.

Ex ea radunt album ſyncerumq́;, atque transfundunt in uas, quod ſatis habeat marinæ ex alto petitæ, inſperſoq́; nitri momento, decoquunt. cumq́; iterum tertióue inferbuit, ſeparatum uas refrigerant, ac ceræ paſtillum eximunt, deterſa ſorde, ſi qua fortè adhæſit. tum denuò indita noua maris aqua feruet, uti retulimus. & uaſe dempto ex igne, fundum ollulæ nouæ aqua frigida madefactum, in ceram ſummam ſuſpenſa manu intingunt, quò celerius concreſcat, & quamminima portio extrahatur. ſuſcepto primo ceræ orbiculo, iterum uaſis imum aqua refrigeratum, tantiſper in ceram immitti debet, dum tota excipiatur. orbiculi lino conſuti, interuacante ſpatio ſuſpenduntur. & interdiu, continuò ſub ſole, noctu ſub luna aſperguntur, uſque dum perfectè albeſcant. uerùm ſi eximius ille candor deſideretur, eadem factitari, & identidem recoqui operæpreciũ eſt. Nec deſunt qui pro marina, in muria quamacerrima ſemel aut iterum excoquant. dein laguncula tenui, rotunda, anſam habẽte, extrahunt. poſtea orbiculos, ſubſtrato affatim ceſpite herboſo, inſolant, donec candorem ſummum contraxerit. Præcipiunt hoc obeundum munus uere, cum ſol remiſſa uehementia humorem pariat, ut non facilè liquetur. Dioſcorides.

Cerui cornu. CERVI cornu conciſum, crudo fictili, luto circumlito, & in furnum indito, uritur donec albeſcat. id cadmiæ modo clotum, ulceribus oculorum & defluxionibus ſalutare eſt. Dioſc.

Cerusa. CERVSA fit hoc modo: Infuſo in urceum oris lati, aut fictile labellum quàm acerrimo aceto, laminam plum

beam

beam supra fictilis spiraculum, subiecta prius arundinea tegete, firmato: superiectisq; uelaminibus, ne halitum expiret acetum, ubi resoluta fuerit, defluensq; deciderit, humorem purum ad summa delatum colato, crassamentumq; transfundito. debet quoque siccari in sole, mox trusatili mola teri, aut aliâs tritum cribrari. postea quod superest duri in tenues partes redigendum, cribrandumq;. uicißim eadem tertio quartoq; facienda. Melior, quæ primò cribrata est, & medicamentis oculorum assumenda: secundum locum tenet, sequens: & reliquæ suo ordine. Nec desunt qui ligneas rudes, in medio uase appendant, & deraso ceu situ imposito, ita ut acetum non contingat, inditoq; operculo circumlinentes dimittunt. post dies decem laxato obturamēto uisunt. cumq; resoluta materia fuerit, reliqua, ut suprà diximus, exequuntur. Si autem quis in pastillos uelit digerere, aceto acri subacta, diuiditur in pastillos, qui in sole siccantur. Aestate tamen supradictum opus obeundum est. ita enim candida atque efficax redditur. Quinetiam hyeme paratur, urceis supra furnos, balnea, aut fornaces impositis, ascendens enim calor, idem quod sol præstat. Laudatißimam fieri putant Rhodi, & Corinthi, aut, Lacedæmone, proximam Puteolis. Torretur hoc modo: Flagrantibus igni carbonibus, fictili nouo, maximè Attico, tritam cerusam imponito, & aßiduè uersato. cumq; cinereum colorem traxit, eximens refrigerato, & utitor. Est & aliud urendi genus: Trita patinis nouis supra prunas imponitur, & ferulacea rude mouetur, donec colore similis sandarachæ fiat. Extractaq; ad usus mini-

Delectus.

ſtratur. quæ uerò ita parata eſt, ſandyx à quibuſdam dicitur. Lauatur ceruſa cadmiæ modo. Dioſc.

Chalcitis. CHALCITIS præfertur ſimilis æri, friabilis, nec lapidoſa, nec inueterata, intercurſantibus oblõgis uenis, ſplendentibusq́ꝫ. Dioſc.

Pſoricon. PSORICON appellatum è Chalcite fit medicamentum, duabus eius partibus, cum una cadmiæ additis, & ex aceto tritis. oportet autem in fictili, obruere fimo, diebus quadraginta, per Caniculæ ardores, ſic enim fit acrius. Idem quod Chalcitis poteſt. Alij pares utriuſque portiones in uino terunt, & eadem proſequuntur. Vritur Chalcitis fictili nouo, uiuis carbonibus ſuperpoſito. modus autem uſtionis in humidioribus eſt, dum ipſa Chalcitis bullas excitare deſierit, & perfectè inaruerit: in reliquis uero dum mutata in roſeum colorem fuerit, & ſanguineũ aut miniatum colorem contraxerit, tum demum eximenda eſt: inſidens autem ſpurcitia flatu expellenda, mox reponenda. Torretur etiamnum perflatis carbonibus, uſque dum luteo colore palleſcat: aut fictili ſubditis candentibus prunis, ſubinde uerſata, donec igni conflagret & colorem mutet. Dioſc.

Chelidoniũ maius. CHELIDONII maioris folijs, caule, radice, ſuccus exprimitur ineunte æſtate, & ſiccatus in umbra digeritur in paſtillos. Dioſc.

Chryſocolla CHRYSOCOLLA laudatiſſima Armeniaca, colorem porri quàm ſimillimè reddens, ſecundum locum ſibi uendicat Macedonica: & proximum Cypria. quo in genere præfertur pura. damnatur, quæ terram aut calculos collegerit. Ratio lauandi hæc eſt: Tuſam infuſa

aqua,

aqua, mortario expassa manu ad pilam uehementer fricato, & statim quàm consederit, colato. alteram infundens aquam, rursum terito. Diosc.

CICVTAE succus exprimitur contusis cacuminibus, priusquam semina & comæ siccescant. qui sole densatur in pastillos. Efficacissima uis Creticæ, Megarensi, mox Atticæ, & in Chio & Cilicia nascenti. Diosc. Cicuta.

Hallucinantur qui CINNABARIN minio eandem esse existimant. Miniũ enim in Hispanijs ex lapide quodam argenteæ arenæ permisto, temperari solet. alioqui non dignoscitur. fornacibus autem in florentissimum flagrantissimumq; colorem permutatur. in metallis uerò strangulantem halitum eructat. itaque facies incolæ uesicis obuelant, ut per illas spectent, nec respirando noxium aërem attrahant. eo pictores ad sumptuosa parietum ornamenta utuntur. Cinnabaris uerò ex Aphrica defertur, & magno constat. hactenus inuenitur, ut uix uersicoloribus pictorum lineis satisfaciat. intento colore nec diluto præditum. quare quidam sanguinem esse draconis existimauerunt. Vim habet cinnabaris hæmatitæ lapillo eandem. Diosc. Cinnabaris.

CINNAMOMI genera plura, patrium sibi nomen uendicantia. Præfertur tamen Mosyliticum, quod casiæ, cui Mosyliti nomen est, aliquam referat effigiem. Sed in eo genere recens, nigrum, ex uinoso in cinereum uergens, læue, tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cinctum, perquàm iucunde olens. Optimi ferè indicium, iucundi odoris proprietate constat. Inuenitur enim cum optimo, eoq; quod peculiare est, odor rutæ aut cardamo Cinnamomum.

mo proximus. Insuper, acre, mordens, & cū calfactione quadam tenus salsum, quod non citò confricanti asperum, aut frianti lanuginosum, læuibus tamen internodijs appareat. Si certior fieri uoles, uellito ab radice surculum. facilis est huiuscemodi probatio: nanque fragmenta miscellanea quædam esse uidentur. Quæ autem melius spirant, suo halitu cum nares primum consuluntur, olfactum explentia, deterioris dignotionem impediunt. Est etiamnum montanum, crassum, pumilum, fuluescens admodum. Tertiū à Mosylitico, perquàm suauiter olet, nigrum, fruticosum, paucis intercedētibus geniculis. Quartum, fungosum, candicans, aspectu tuberosum, uile, ac friabile, magnam habens radicem, quæ casiam planè repræsentat. Quintum genus, odore nares feriens, subrufum, & cortice fuluæ casiæ simile, tangenti firmum, minus neruosum, densa radice firmatum. Iis quæ thuris, casiæ, myrti, aut amomi odorem spirant, minus suauitatis inest. Deligito scabrum, album, rugosum: at læue, & lignosum circa radicem, ut inutile reijcito.

Est etiamnum simile aliud, cui pseudocinnamo cognomen est, inualidi odoris, solutarumq; uirium. Vocatur etiam zingiber, cum tamen sit xylocinnamomum, præbens quandam cinnamomi faciem. Est autem lignosum cinnamomum, sarmenta longa robustaq; ferens, odore longè cinnamomo inferiore. Sunt qui xylocinnamomū à cinnamomo genere differre dicant, quod à natura eius abhorreat. Tritum uino excipitur, umbraq; siccatum, quò diutius eduret, reconditur. Est & quoddam cinnamomum, quod aliqui pseudocinnamomum appellant,

perquàm

perquàm denſo atque craſſo ſarmento, longe tamen inualidius cinnamomo, & odore & guſtu. Dioſcorides.

CNICVS redigitur in offulas, quas placentulas uocant, adiectis ſucco amygdalis, nitro, aniſo, & melle decocto, quæ aluum emolliunt. Hæ in partes quatuor finduntur, quæ nucis iuglandis magnitudinem impleant, è quibus ante cœnam duas uel tres ſumpſiſſe ſatis eſt. Ratio temperãdi hæc eſt: Cnici candidi ſextarius, amygdalorum toſtorum & delibratorũ cyathi tres, aniſi ſextarius unus, aphronitri drachma una, cum carnibus triginta caricarum. Cnici ſemen tunditur, & ſuccus exprimitur. Dioſc. Semen Cartami ex ſententia Meſuæ eligendum eſt, candidum, planũ, hoc eſt læue, grandiuſculum, & plenum, cuius medulla eſt unctuoſa & pinguis, cortice tenui. Paulus coquit drachmas quinque medullæ Cartami, cum Ptiſana, & paucis ſalibus, ut educat aquam. Seminis tuſi ſuccus adiectis amygdalis, nitro, anetho, & melle decocto, cogitur in placentulas Dioſcoridi, quæ aluum emolliunt. Hæ in fruſta ſeu globulos quatuor finduntur, qui nucis iuglandis magnitudinẽ impleant, è quibus duas uel tres ante cœnam ſumpſiſſe ſatis eſt.

Cnicus.

Cartami delectus.

Doſis.

COCCVM optimum gignitur in Galatia & Armenia. deinde Aſia & Cilicia. ultimum ex omnibus Hiſpanicum. Naſcitur quoque in Cilicia, è quercubus, cochlearum exiliũm ſimilitudine, quod illius regionis mulieres ore legunt, & coccum uocitant. Dioſc.

Coccum.

COERVLEVS lapis præceßit in Cyaneo.

Cœruleus lapis.

Colocynthidis duplex genus apud Mesuen.

Mesue duplex genus COLOCYNTHIDIS *constituit. Nempe marem & fœminam. Mas grauis, durus, asper, nigricans, & lanuginosus est. Fœmina eidem auctori præfertur mari, præsertim magna, siue ut dicunt grossa, læuis, laxa, candida, lenis, & perfecte matura: & cuius pars interior, siue medulla, pulposa, laxa, læuis, hoc est nō aspera, & insigniter alba est. Colocynthidis medulla Aëtio eligenda est, alba & mollis. Siccior uero & nigricans, tanquam mala reijcienda. Optima Venetijs emitur Colocynthis, & quæ ex orientalibus regionibus, utpote calidioribus, ad nos aduehitur. Quæ apud nos nascitur, inefficacior est, & ægre aluum soluit. Cæterum probatißima syluestris huius Cucurbitæ medulla, siue, ut loquuntur pulpa antequam in usum assumatur, primum incidenda est. Deinde terenda diligenter, & sæpius cribranda. At usus tempore rursus cum mulsa in mortario exquisitißime subigenda. Id enim illi, inquit Aëtius, peculiare est, ut trita antequam madefiat, subtilißima appareat: sed post mulsæ infusionem ita intumescat, ut qui uideat cribratam, minime putet. Quoddā igitur frustulum eorum quæ intumuerint, sæpe uentri aut stomacho inhæret, sæpius tamen intestinorum anfractibus implicatur. Cumq; sit naturaliter acris & mordax, ulcerat intestina, & ob cōsensum neruis affectum inducit, torminaq; parit & contractiones. Propterea exquisitißima diligentia ad ultimam minutiem redigenda est. Sed mulso prius aut rutæ decocto infunditur, tum exiccata in puluerem redigitur. Paulus & Auicenna, quem est Mesue secutus, ipsam Colocynthida*

Aëtius.

Modus pręparandæ medullæ Colocynthidis.

Cucurbitula syluatica dilligentissimè terenda.

thida etiam plurimum teri iubent. Quoniam (ut inquit Paulus) nisi exactè teratur, asperæ eius partes interioribus hærentes, ulcera excitant, quibus nerui compatiuntur. Serapion autem contrarium, sed male, asserit, eam uidelicet non esse multũ terendam. Dosis pulpæ Colocynthidis ad summum est decem ceratia Mesuæ. Paulus drachmam integram dare non ueretur, quæ eiusdem sententia, pendet ceratia decem & octo. Datur Aëtio Colocynthidis medulla scrupulorum duorum pondere, ex duobus mulsæ cyathis. Imbecillibus tamen, inquit, scrupulus sufficit. Quatuor obolis sumpta purgat Dioscoridi melle cocto, myrrha & nitro excepta, atque in catapotium coacta.

Serapionis error. Dosis. Mesue. Paulus. Aëtius.

CONYZAE genus tertium reliquis infirmius est. Dioscorides.

Conyza.

CORALLIVM laudatißimum, rubens, colore antherici aut sandycis saturatæ, nec secus terenti facilè cedens, æquabili usquequaq; concremento, rursus algæ aut fuci marini odore, quam ramosißimum, forma fruticis, cinnamomi æmulum. Quod autem in lapidis duritiam coit, scrupulosum, inane, & lacunosum, uitiosum existimatur. Quod Antipathes uocant, corallium esse arbitrantur, specie tantùm distans. est autem colore nigro, arboris figura, ramosum magis. Vires supradicti habet. Dioscorides.

Corallium. Antipathes.

COSTVS præcellit Arabicus, candidus, leuis, eximia odoris suauitate. Secundum locum sibi uendicat indicus, leuis, uber, ut ferula niger. Tertius est Syriacus, grauis, colore buxeus, & odore feriens. Optimus est re-

Costus.

cens, albus, abundè plenus, densus, aridus, à teredinibus non erosus, sine graueolētia, gustu calidus, & mordens. Sunt qui admustis helenij comageni præduris radicibus, adulterent. quod deprehensu facile est. Siquidem neque gustu feruet helenium, neque ualidum odorem uibrat, ut caput tentare poßit. Diosc.

Cotonea mâla. COTONEA eligi oportet uera, quæ sanè sunt rotunda, parua & odorata. quæ uerò struthia dicuntur, magna quidem sunt, sed minus utilia. Diosc.

Crocodili fimum. CROCODILI terrestris fimum crocodileam uocant, quæ mulieribus colorem nutrit in facie, nitoremq́; seruat. Optima est candidißima & friabilis, amyli modo, minimè ponderosa, in humore statim eliquescens: quæ cum teritur, fermenti acorem quadam tenus refert. Adulterant eam sturnorū fimo, quos captos oryza pascunt. ipsumq́; non dißimile uendunt. Alij amylum aut cimoliam miscent, & adscito anchusæ colore per rarum cribrum paulatim exprimunt, ut se contrahat in uermiculorum speciem. qui siccati pro crocodilea uæneunt. Diosc.

Crocomagma. CROCOMAGMA fit expreßis unguenti crocini odoramentis, & in formas digestis. Optimum est odoratum, modicè myrrham olens, graue, nigrum, ligni expers, læue, subamarum, quod madefactum croci colorē reddit, gustatumq́; uehemēter dentes ac linguam inficit, multis durans annis. quale est, quod à Syria defertur. Dioscorides.

Crocum. CROCVM, optimum in medendi usu Coryceum, recens, & boni coloris, paulū candidi gerens in capreolo, oblongum, omnibus suis partibus constans, non fragile,

gile, plenum, à quo detractum est nihil, quod madefactũ manus inficit, nec situm redolet, aut cariem sentit, subacre. sin huius generis non est, aut uetus, aut humore perfusum creditur. Secundus locus datur Coryceo, è tractu Lyciæ contermino. Tertius Lycio, è monte Olympo. dein ex Aegibus Aetoliæ. Cyrenaicum & Centuripinũ inter Sicilica omnia uiribus infirmius est. Omnium natura oleracea. Itali tamen ob succi copiam, & coloris uenustatem, tingendis mortarijs dicauerunt. quibus de causis magno uenditur. Vtilißimum in medicina quod antè descripsimus. Adulteratur immisto crocomagmate tuso, atque etiam sapæ sublitu: contrita, quò pondus adijciatur simul argenti spuma, aut plumbagine. sed maleficium deprehenditur puluerulento aspectu, & defruti odore. Dioscorides.

CYANEVS, id est COERVLEVS. Cœrulei origo ex ærarijs metallis in Cypro. copiosior ex arena litorali, secundum quosdam sub cauatos specus maris inuenitur: qui magis probatur. Eligi debet inebriatus. Vritur ut chalcitis. Lauatur ut cadmia. Diosc. Serapio præfert, qui perfectißimum colorem cyaneum habet, & guttas aureas admixtas, quiq; alterum lapidem mixtum non habet, nec facile frangitur. Nostri pharmacopolæ lapidem hunc imperfectißimum ostendunt: quippe cui eius color desit perfectus. Cyaneus, id est, Cœruleus lapis.

Animaduertendum est communi lapidis stellati nomenclaturà Cyaneum simul, & Marchasitam, hoc est pyriten esse complexos Arabes. Dosis lapidis stellati Mesuæ est à drachma una usq; ad drachmas duas & semis. Lapis stellat⁹ & Marchasita. Dosis lapidis Stellati, id est Pyritis & Cyanei.

mis. Reperio apud Galenū, & Paulū, ac reliquos alios scriptores medicos, Cyanon siue lapidem Lazuli, acri facultate esse præditum, & purgatoriā ac discussoriam uim habere. Pyriten uero quem Marchasitam uocant, nullus unquam (quod saltem nouerim) inter purgatoria medicamenta reposuit. Hic autem ualde discutit tumores, sanguinemq; in grumos concretum: cuius loco, cum eius copia non est, molari utuntur medici.

Pyrites lapis purgatorius non est.

Cyclamen.

CYCLAMINI succus exprimitur tusa radice, & ad mellis craßitudinem decoquitur. Diosc. Cyclamini radix cum hydromelite pota, pituitam per inferna detrahit. Eadem cum passo aut diluto mulso trium drachmarum pōdere epota, arquatum morbum, id est icteritiam discutit, siccata & scyllæ modo concisa reponitur. De altera Cyclamino (quam Sigillum Mariæ uocant) scribit Dioscorides, quòd huius acini drachmæ unius pondere, in uini albi cyathis duobus, per quadraginta dies epoti, lienem per urinam & aluum paulatim absumunt. Dosis Arthanitæ Mesuæ est, ab aureis duobus usque ad drachmas quatuor, & proprie succi eius.

Dosis radicis Cyclamini.i. Panis porcini.

Dosis alterius Cyclamini.i. Sigilli Mariæ.

Aëtius.

Aëtius radicis cyclamini minutißime tritæ drachmas tres uel quatuor, pro uirtutis ratione è mulsa propinat, ad bilem & pituitam ducendam. Sed huic per sudorem præcipue purgat, seu potius euacuat.

Cypirus.

CYPIRVS optimā est grauißima, densa, fractu contumax, plena & aspera, odoris cum quadam acrimonia iucundi, qualis est Cilicia, Syriaca, & quæ à Cycladibus insulis petitur. Aliud Cypiri genus tradunt in India nasci, gingiberis effigie, quod manducatum croci uim reddit,

reddit, gustu amaro, illitum psilothrum est. Diosc.

CYPHI thymiamatis compositio est, dicata dijs, qua abunde Aegyptij sacerdotes utuntur. In antidota misceri solet. suspiriosis datur in potu. Permultæ componendi rationes, quarum una hæc est: Sumito cyperi dimidium sextarium, cum pari baccarum iuniperi adultæ modo: uuæ passæ pinguis, exemptis uinaceis, minas duodecim: resinæ repurgatæ minas quinque: calami & iunci odoratorum, & aspalathi, singulorum minam: myrrhæ duodecim: uini ueteris sextarios nouem, cum duabus mellis minis. uuam passam detractis uinaceis tusam, cum uino & myrrha subigito: cætera tusa & cribrata adijcito. die uno humorem combibere sinito: dein mel coquito, dum sibi glutinis asciscat crassitudinem. eliquatam resinam accuratè permisceto cum reliquis diligenter contritis, & in fictile uas recondito. Diosc. Cyphi thymiama.

CYPRVS optima nascitur in Canope, & Ascalone. Diosc. Cyprus.

D



IPHRYGIS tria genera esse creduntur. Quoddã enim metallicum est, quod in Cypro sola gignitur. lutosum nanque extrahitur, ex luto cuiusdã inibi specus: extractum, sole siccatur, mox circumpositis sarmentis uritur. diphryges ideo uocatum est, quod & à sole & à sarmentis uratur, arescat, & fermè torreatur. Alterum perfecti æris, quasi subsidens fæx est. siquidem post frigidæ Diphryges.

gidæ aquæ offuſionem, ut ſuprà retulimus, cùm de flore æris diſſereremus, ſublato ære, fornacũ ima parte cohærens id genus inuenitur, & adſtrictionẽ & guſtum æris habens. Tertium ſic fit: Lapidẽ pyriten, ut calcem multos dies cremãt in camino: cumq; colorem rubricæ contraxerit, eximẽtes recondunt. Quidã tradunt, hoc ex ſola materia quæ lapidẽ æris gignit, fieri: quãdo in dictis arëis aſſata & in ſcrobes translata per uritur. tunc enim ambientem ſcrobis locum cõprehendit, & exemptis lapidibus nihilominus inuenitur. præfertur quod saporẽ æris reddit, æruginisq;, adſtringẽs, & uehementer exiccans linguam. quod ſibi exuſta ochra nõ uendicat: quæ cremata, diphrygis uice uænit. Dioſc.

Dipſacum. DIPSACI radix tuſa & decocta in uino, uſq; dũ ſit craßitudo ceræ, ſanat rimas ſedis & fiſtulas. Medicamentum ærea pyxide recondendum. Dioſc.

Dracũculus. DRACVNCVLI radix meßibus effoditur, lotaq; fruſtatim cõciditur, & lino traiecta, ſiccatur in umbra, & ita reconditur. Dioſc.

Dulcis radix DVLCIS radicis ſuccus exprimitur è radicibus, qui denſatur lycij exemplo. Dioſc.

E

Ebenus. 

EBENVS optima habetur æthiopica & nigra, nullos habens uenarum diſcurſus, factitij cornus læuore. cum frangitur denſa apparet, mordens guſtu, atque aſtringens. ſuffitur iucundo odore ſupra carbones, ſine fumi tædio.

tædio. recens autem ad ignem prolata, ob pinguitudinẽ accenditur, & trita ad cotem flauescit. Altera est Indica, internatis segmentis candicantibus, & modice fuluis, item frequentibus maculis. cæterùm prior, bonitate antecedit. Apud quosdam sesamina, aut spinea ligna consimilia pro ebeno uæneunt. quod discernitur ex eo, quòd fungosa sunt, & in purpureas assulas resoluuntur, nihil mordacitatis in gustu, nec redolentiæ in suffitu præferentia. Diosc. Ebenus uritur in fictili nouo donec in carbones redigatur. Lauatur plumbi usti modo, & ita siccis scabrisq; lippitudinibus conducit. Diosc.

E fructu syluestris cucumeris, fit medicamentum quod ELATERIVM uocatur, ad hunc modum: Decerpti cucumeres, qui tacti protinus exiliunt, seruantur nocte una. postridie imposito supra craterẽ rariore cribro, utrisque manibus prehensi, sigillatim supino cultro, sursum uersus aciem habente, finduntur, atque per cribrum humor in subiectum uas exprimitur: simulq; carnosum quod hæsit cribro, quò facilius excidat, eliditur. quod ita pressum est, residere sinitur, atque in uicinam pelum demittitur. coaceruata autem in cribro segmina, dulci aqua perfunduntur, & denuò pressa abijciuntur, humor in pelui agitatur, & linteo opertus, soli exponitur. dumq; steterit, tota supernatans aqua cum humore concreto, effunditur. hoc uerò identidem fieri solet, donec existens aqua liquescat: qua stillatim exhausta, sedimentum mortario suscipitur, & conterendo cogitur in pastillos. Sunt qui ad hauriendam protinus succi abundantiam, cribratos cineres humi inspargant, & medium Elaterium.

cauan

cauantes, triplicatum linteum obtendant, per quod elaterium cum sua humiditate diffundunt, siccatumq́;, in pila, ut dictum est, conterunt. Aliqui pro dulci aqua marinam perfundentes, ita eluunt. Alij in nouissima lotione, mulsam aquam respergunt.

Delectus. ELATERIVM optimum esse constat, læue, non ponderosum, cum candore leniter humectum, gustu amarissimum, quodq́; lucernarum luminibus obiectum, facilè flagret. Porraceum tamen scabrumq́;, si turbidum spectetur, atque erui cinerisq́; plenum sit, graue & uitiosum esse solet. Nec desunt qui cucumis succo, amylum immisceant, ut candorem ipsum & leuitatem imitētur.

Tempus durationis Elaterij. Elaterium usu purgationum à bimatu incipit esse tempestiuum Dioscoridi, duratq́; decennio. Mesuæ conseruatur solum triennio, & post sex menses administratur. Theophrastus ducētos annos uim eius pollere adfirmat. Quo uetustius, eo esse melius dixit Plinius.

Dosis. Maxima potio Elaterij est solidus obolus, Dioscoridi: minima mensura, semiobolus. Pueris sufficit dichalcon, id est calci duo, hoc est pondus granorum quatuor. Si maiore copia sumatur, periculosum est. Bilem pituitamq́; alterutra parte extrahit. Vetandi autem sunt dormire, qui potant.

Epithymũ. EPITHYMVM nasci plurimum in Creta & Syria Mesue scribit. Cui etiam auctori præfertur Cretense, subrufum, & acuti, ut loquitur, odoris. Diosc.

Dosis Epithymi. Mesue pulueris Epithymi drachmas septem exhiberi posse statuit. Cum tamen ueteres multo minorem quantitatem præscripserint. Dioscorides nanq; quatuor

Dioscor. 4

tantum

tantum drachmas concedit cum melle ac ſale & aceti exiguo. Idẽ pondus exhibet Galenus in ſero lactis uel mulſa, libro decimoquarto methodi medendi. Oribaſius in ſuo compendio uix drachmas tres tranſcendit. Aëtius tantum ſcrupulos duos triti & cribrati, ætate uigentibus offert. Paulus tamen Aegineta libro ſeptimo dandas eſſe drachmas quinque cum lactis hemina contritas permittit. Plinius uero lib. 26. cap. 8. ad ſex uſque drachmas progreditur. Auicẽna potionem Epithymi quatuor eſſe aureos præcipit: adeò ut nemo ſit præter unum Meſuẽ, qui ad ſeptem uſque drachmas progredi auſus ſit. Proinde conſultum erit, ut quinque tantum uel ſummum ſex drachmas, idq; pauciſsimis concedamus. Potio uerò ipſius Epithymi infuſi ſeu macerati offerri poteſt, ab uncia una, uſque ad uncias duas.

Galen. 4 Oribaſ. 3 Paulo. 5 Plinio. 6 Auicen. aurei 4 Legitima doſis drachmæ. 5 Doſis infuſi epithymi.

ERVINAE parandæ farinæ ratio hæc eſt: Vberiora grana candidaq; deliguntur, permuſcendoq;, aqua reſperguntur, donec ſufficienter combibant. poſtea torrentur, uſque dum hians cortex diſrumpatur. molitaq;, farinario cribro incernuntur. poſtremò farina reconditur. Dioſc.

Eruina farina.

EVPHORBIVM libyca arbor eſt, ferulæ ſpeciem habens, quæ in monte Atlante, iuxta Mauritaniam inuenitur. ea acerrimo ſucco turget. cuius eximium feruorẽ expaueſcentes incolæ, ouillos uentres elutos, arbori circumligant, & eminus caulẽ contis incidunt. confeſtimq; è plaga, perinde atq; uaſe quodam, in uentriculos copioſus lactis humor effluit, præter id quod humi ſparſum, uulnus eiaculatur. Duo ſucci genera. unum orobi ma-

Euphorbiũ.

gnitudine, sarcocollæ modo emicat. alterum in uentriculis concrescit, atque uitreum spectatur. Eligendum est translucens, & acre. Euphorbium adulteratur sarcocollæ & glutini mistione. sed difficile quidem experimentum. quippe cum leui gustu, os accensum diu detineat, adeò ut quicquid ori obijciatur, planè euphorbium resipiat. Eius inuentio tempore Iubæ regis Libyæ cognita extitit. Diosc. Paulus drachmam unam exhibet euphorbij, cum melle cocto, ad pituitam & aquam educendam. Plinius tres obolos ex aqua aut mulso. Rasis, Serapion & Auicenna, dicunt tres drachmas interficere. Quadriennio conseruatur. Mesuæ annuum perniciosum est.

Dosis Euphorbij.

F

Fæx.



AEX eligenda maximè à uino uetere, Italico: sin minus, ab alio consimili. Fæx aceti uiribus longè acrior est. Crematur ut alcyonium, antè diligenter siccata. Sunt qui noua testa igni largo urãt, usque dum penitus incendatur. Alij uiuis carbonibus fæcis glebam obruunt, & idem opus prosequuntur. Experimentum est legitimæ ustionis, ut aërio nitore inalbescat, linguamq; tactu urere uideatur. Eadem urendæ fæcis aceti ratio. Sed recenti utendum est, quoniam celeriter exanimatur. proinde non nisi in recõditorio, & uase aliquo reponi debet. Lauatur, ut pompholyx: & oculorũ medicamentis elota, ut spodos, adijcitur. Dios.

FEL omne curatur hoc modo: Recens præligato ore folliculi lino tandiu demuſſum in feruentem aquam, dum quis ſpatium trium ſtadiorum percurſaret, mox exemptum ſiccatur umbroſo loco, aſperginem non redolente. Sed quod ad oculorum medicamenta adijci ſolet, ligatum lino in uitreũ uas, quod mel habeat, immittitur, circumuoluto ad os uaſis lini principio: & operto uaſe reconditur. Efficacius fel marini ſcorpionis eſſe uidetur, & piſcis callionymi, marinæ teſtudinis, hyænæq́;: itẽ perdicis, aquilæ, gallinæ cãdidæ, & ſylueſtris capræ. quod priuatim prodeſt contra ſuffuſiones incipientes, & oculorum caligines, argemas, & genarum ſcabritias. ouillo, ſuillo, hircino, atque urſino, taurinum multo efficacius. Dioſc. Fel.

FICVS ex cinere tam ſylueſtris quàm ſatiuæ lixiuium fit crematis ramorum cauliculis: quod ſubinde macerari opus eſt & inueteraſcere. ſiquidem inter cauſtica intelligitur. Dioſc. Fici lixiuiũ.

FICI ſylueſtris & ſatiui lacteo ſucco idem præſtat ſuccus è teneris ramis ſylueſtris fici. qui lacte prægnantes, ſilente adhuc oculo tuſi exprimuntur: & ſiccatus in umbra reponitur. Dioſc. Fici ſylueſtris & ſatiuæ ſuccus.

FOENICVLI ſuccus caule & folijs exprimitur, & in ſole ſiccatus, in medicamenta adijcitur, quæ ad excitandam oculorum aciem commodè temperãtur. Extrahitur ſuccus ad eadem ualens, etiam ſemine uiridi ramulisq́; & radicibus prima germunatione inciſis. In Iberia quæ ad occidentem ſpectat ſuccum reddit gummi ſimulem. Caulem medium, dum herba floret ruſtici demetunt, Fœniculi ſuccus.

igniq; admouent, quò facilius ui caloris exudans, gummi remittat. quod efficacius succo est, ad medicamenta oculorum. Dioscorides.

Confectio succi fœnograeci ex Aëtii libro septimo, capite 15.

Fœnum græcum. FOENOGRAECVM diligentißimè purgari oportet, deinde plurimum ablui, postea in aqua dulci purißima die ac nocte madefactum in fictili exactè decoqui, uitariq; in decoctione uas æneum. Postridie effusa priori aqua, & alia pura coniecta ad ignem splendidum fumo carentem decoquito. ideo uero primam & secundam aquam abijcimus, ut omnis inde amaritudo eximatur. tertio igitur purißima aqua adiecta, et exquisitißimè operta ad liquidioris mellis consistentiam decoquito, inde per linteum excolabis, fœnogræcum nequaquã exprimens, sed eo tantum succo contentus, qui sponte defluet, quem ad prædictos usus seruabis. Seruari autem in alteram diem, uel quàm longißimè in tertiam potest, ulterius enim moratus acescit. Sed ubi ulcera satis purgata sint, à succo fœnogræci abstinebis. Cum hoc succo collyria dissoluuntur, ubi ulcera oculorum sordida sunt: & si abundent sordes, mel addetur. Lentorem habet, & relaxandi uirtute pollet. Hæc Aëtius.

Fucus marinus. FVCI marini generibus uti humidis conuenit, prius quàm exarescant. Diosc.

Fuligo. FVLIGO qua pictores utuntur, ex uitrarijs officinis colligi solet. siquidem ei palma tribuitur. Diosc.

Fumaria. electio. Meliorem FVMARIAM existimat Mesue, cuius herba

herba uiridis & tenera eſt, folia quoq; tenera & plana, & flos ſubuiolaceus. Et melius (inquit) tempus collectionis herbæ eius & operationis ſucci ipſius eſt principiũ ueris: & ſeminis eius, finis ipſius ueris. Potio ſucci fumi terræ, eſt Meſuæ, ab uncia media ad duas. Ego autem uix puto eſſe cuiquam tam mollem uentrem, qui ea quantitate leniatur. Auicenna uſque ad octo uncias exhibet. Multi ſunt qui Auicennæ etiam modum excedũt. Decoctum eius exhibetur ab uncijs decem uſque ad quindecim. Et puluis à drachmis tribus uſque ad quinque. Modus exhibitionis.

G



GAGATES præferendus, qui celeriter accenditur, & odorem bituminis reddit. Niger eſt plerunq;, & ſquallidus, cruſtoſus, perquàm leuis. Vocatur locus in Cilicia & amnis Gagas, in cuius faucibus ij lapides inueniuntur, proximè oppidum Plagiopolin. Dioſc. Gagates lapis.

GALBANVM ſuccus eſt naſcentis in Syria ferulæ, quod nonnulli metopium uocãt. Maximè laudatur cartilaginoſum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minimè lignoſum, retinens nonnihil adiecti ſeminis, & ferulæ, graui odore, neque ualde humidum, neque nimis aridum. Adulteratur faba freſa, reſina, & ammoniaco. Galbanum.

Si purgare galbanum uoles, in feruentem aquam demittito. nanque cum liquefactum fuerit, eius ſordes fluitabunt. quas hoc modo facilè ſeparabis: mundo lin-

teo raroq; alligatum in fictili aut ærea pyxide ita pendeat, ut imum uasis ne tangat: opertoq; uase in feruidam aquam demittito. sic enim syncerum, ueluti per colum eliquescet, & lignosum in linteo remanebit. Dioscorides.

Galla. GALLA *fructus est quercus*. Aliqua *omphacitis appellatur, parua quidem sed tuberosa, solida, nullo foramine peruia. altera plana, leuis, perforata*. Eligi debet *omphacitis, quæ efficacior est*. Diosc.

Gallinacei ueteris ius. IVS è *uetere* GALLINACEO *aluum deijcit*. Ab*iectis itaque interaneis salem conijci oportet, & consuto uētre decoqui in uiginti sextarijs aquæ, donec ad treis heminas redigantur. totum id refrigeratum sub diuo, datur*. Aliqui *incoquunt olus marinum, mercurialem, cnicum, aut filiculam*. Diosc.

Galli gallinacei delectus. *Gallus in hunc usum eligendus est rufus & antiquißimus (quo enim antiquior eo melior censetur) salax & in coitum pronus, pugnax, & animosus, mediocris habitus inter pinguem & macrum.* Talem *igitur* Alectryona, *id est gallinaceum gallum, diebus aliquot furfure cibato, uel ut consulunt alij, melle & modico sale, deinde ipsum cursu & uerberibus usque ad laßitudinem fatigato: nisi malis eundem, contra alterum gallinaceum etiam pugnacem & animosum, dimicando defatigari.* Mox *absciso capite exenterandus est, & ut loquuntur, euiscerandus, & modo quo suprà ex* Dioscoride *annotauimus in aqua decoquendus.* Mesue *aquæ mensuram non præscribit, sed ex ea quantum satis est assumit, & coquit, ut eius uerbis utar, usque ad consumptionem duarum partium.*

partium. Eius autem iuris siue decocti Dosis eidem est circiter libras duas. Quæ certe quantitas nimium excedit. Plinius decoquit gallinaceum hunc gallum decrepitum in tribus congijs aquæ, donec reducatur usque ad tres cotylas. Dosis iuris gallinacei.

GENTIANAE succi extrahendi ratio hæc est: Contusa radix quinque diebus aqua maceratur. postea in eadem tantisper decoquitur, dum extent radices. & ubi refrixit aqua, linteo excolatur. mox discoquitur, dum mellis craßitudo fiat: fictiliq; reconditur. Dioscorides. Gentianæ succus.

GINGIBERIS radices eligi debent, quæ teredines non nouerunt. A multis tamen ob id condiuntur, quod celeriter cariem sentiant. Diosc. Gingiberis.

GLANS unguentaria nascitur in Aethiopia, Aegypto, Arabia, & Petra oppido secus Iudæam. Præfertur plena, recens, candida, quæ facilè delibretur. Dioscorides. Glans vnguẽtaria.


GLAVCIVM aliqui ex corniculati papaueris genere factitari existimârunt, falsi quadam foliorum cognatione. Diosc. Glaucium.

GLVTINVM, quod xylocollan, alij taurocollan uocant, præstantißimum Rhodiacum, quod ex bubulis corijs conficitur. id candidum est & translucens. Nigrum uerò minus probatur. Diosc. Glutinum.

ICTHYOCOLLA, gluten piscium, uenter est piscis cetacei. Præstat candicans, natione Ponticum, subasperum, minimè scabrum, & quod celerrimè liquescit. Dioscorides. Glutinum piscium.

Gramen. GRAMINIS quod in Parnaſo monte gignitur ſuccus, ſi in uino cum melle pari, & myrrhæ dimidio decoquatur, adijciantur'q; piperis & thuris tertiæ portiones, probatiſsimum erit oculorum medicamentum. id in ærea pyxide reconditur. Dioſc.

H

Hæmatites. AEMATITES optimus habetur friabilis, ſaturato colore niger, durus & ſuopte ingenio æqualis, nulla ſorde admiſta, nulloq; zonarum diſcurſu. Vritur ut Phrygius, ſine uino duntaxat. Modus uſtionis eſt, ut modicè leuis fiat, & bullis quibuſdam intumeſcat. Sunt qui hæmatiten ita adulterant: Denſam glebā rotundamq; ſchiſti lapidis, cuiuſmodi ſunt quæ eius radices uocantur, in urceum figlini operis, qui feruentem cinerem contineat, condūt, paucaq; interiecta mora eximūt, experiunturq; ſi trita ad cotem hæmatitæ colorē reddat. quòd ſi ita res ſe habet, reponunt: ſin minus, iterū obruunt, & ſubinde conſpicientes, periculū faciunt. ſiquidē in cinere diu dimiſſus, colore mutato diffunditur. Coarguitur malè confictus, primùm ſciſsilibus uenis. quippe in rectos uenarū diſcurſus refringitur. at hæmatites longè ſecus ſe in colore habet. nanq; hic floridū reddit: hæmatites uero ſaturatiorē, atq; cinnabarin imitantē. Inuenitur in Sinopica rubrica. Fit & è magnete lapide, uehementer ambuſto. in Aegypto ſponte naturæ cum metallis enaſcitur. Dioſc.

Helenij

HELENII radix æstate foditur, particulatimq; dissecta siccatur. Idem stomacho utile in passo conditum. siquidem salgamarij paululum siccatam radicem, mox decoctam, & frigida aqua madefactam, in sapam conijciunt, & ad usus recondunt. Diosc. Helenius.

HERMODACTYLVS ille melior censetur Mesuæ, qui & foris & intus ualde cādicat: qui crassus est, & moderatam habet duritiem: quique iuxta Scyllam aut Raphanum crescit. Rarus uerò, laxus, & leuis, imbecillis est uirtutis. At rubri & nigri mali eidem existimantur. Item qui in locis pinguibus, aut humidis nascuntur. hi enim superflua ac flatuosa humiditate scatent. Tempus autem legendis Hermodactylis magis accommodum est uer. Itaque hoc tempore collecti Hermodactyli, in usum ante annum dimidium non ueniunt assumendi, ut Arabicæ familiæ scriptores consuluerunt. Hermodactylus. Electio. Tempus legēdis Hermodactylis accommodum.

Cæterum cum dicit Mesue de rotundo Hermodactylo tanquam de meliore se sermonem habiturum, id sanè intelligendum est. Nempe Hermodactylum rotundum, qui Colchicon est Ephemeron, meliorem ac perfectiorem esse, quod ad ea ad quæ ualet pertinet, ut puta ad articularios dolores. Dosis Hermodactyli ipsi Mesuæ ab aureo uno usque ad duos. Interius autem uellicat, & grauem stomacho exæstuationē adfert, mustumq; cruorem strigmentis in aluum depellit. Hermodactylus rotundus Mesuæ. Dosis.

HORMINVM syluestre magis uiribus pollet. Dioscorides. Horminum.

HYOSCYAMI tres differentiæ sunt. una semine nigro: floribus penè purpureis: smilacis folijs: cytinis Hyoscyamus

prædur is, & spinosis. alterius semẽ subflauum, ut irio-nis: flores lutei. folia, & siliquæ simpliciores. ambo insaniam gignunt, & soporem. ideo in communi usu damnantur. tertium genus, ut quod mitißimum esset, medici recepere, pingue, lanuginosum, molle, candidi floris seminisq́;, in maritimis ruderibusq́; nascens. cuius occasio si non adsit, rufum usurpari oportet. niger, ut deterrimus, improbatur. Recenti semine, caulibus folijsq́; tusis, succus in sole exprimitur, & exiccato humore, usus ad annum usque prorogatur. nam facile corruptionem sentit. Extrahitur etiam ex sicco semine separatim in aqua calida tuso, & expresso. liquamentum autem succo lacteo præstantius est, & magis dolores finit. Contusa herba recens, addita trimestri farina, digeritur in pastillos, & reconditur. Diosc.

Hypocisthis. HYPOCISTHIS, erythranon, aut cytinus à nõnullis cognominata, iuxta cisthi radices nascitur, floris punici similitudine. quædam flaua. altera uirens. tertia candida. Liquatur acaciæ modo. Aliqui tamen exiccant, fractamq́; macerant, & incoquunt, reliquaq́; ut in lycio prosequuntur. Vires acaciæ habet. uerum aliquantò magis siccat, & astringit. Diosc.

Hyssopum. HYSSOPVM præfertur Hippocrati Cilicium, sed è Tauro monte. dein Pamphyliũ, & Smyrneum. Ea

Delectus. hyssopus melior est Mesuæ, cuius odor & sapor acutiores sunt. ex utroque genere (scilicet hortensi & montano) magna eidem præfertur. Tempus autem hyssopo colligendo accommodum est, dum incipit florere.

Decoctus ad tertias hyssopi manipulus cum sale, uel

con-

contritus cum oxymelite & sale, pituitas trahit, Plinio. Decoctum uero cum aceto mulso, crassum humorē per aluum extrahit, Dioscoridi. Ad aluum quoq; subducendam cum ficis uiridibus detritis, eidem manditur. Decocti eius potio Mesuæ est, à drachmis sex usque ad decem, & pulueris eiusdem quantitas, à tribus drachmis usque ad septem. Manardus maiorem longè quantitatem posse tuto dari arbitratur. Dosis.

I



NDICI duo genera. Vnum sua sponte nascitur, tanquam spuma, germinatione Indicis arundinibus exiens. alterum infectoriæ dant officinæ: & est spuma purpurea innatans cortinis, quā detractam artifices siccant. Indicum.

Optimum existimatur, quod cœrulei speciem præbet, succum suum sorbet, & læue est. Diosc. Delectus.

IRIDI radices subiacent geniculatæ, duræ, odoratæ: quæ frustatim dissectæ, in umbra siccantur, & traiectæ lino reconduntur. Teredines in uetustate sentiunt, tunc tamen odoratiores reddi solent. Diosc. Iris laudatißima apud Illyrios exit, non tamen maritimis, sed parte mediterranea, septentrionalibus obuersa, ubi radicis color subrufus, ut in Libyca candidus apparet. Iris.

Præfertur Mesuæ Iridis radix cādida, ruboris quodammodo particeps, grandiuscula, dura, spissa, Violam odore referens, sapore acuto & mordicante, & (ut inter= Iris Mesuæ.

ter=

terpretis uocibus utar) habens nodos breues collectos.

In Gallia funiculo traiectas Iridis (quam Flammam uocant) radices, lixiuo macerant, ad exhauriendam succi uim, quo tinearum iniurijs, quibus sunt opportunæ, minus pateant: dein siccatas recondunt. Plerique sic curatas armarijs indunt, ut suo perquàm iucundo odore uestes commendent.

Dosis. Dosis radicum Iridis Mesuæ est à drachmis duabus usque ad sex. Dioscorides drachmas septem exhibet ex hydromelite. Paulus uero obolos octo dicit purgare, ut Agaricum, modo non sit antiqua aut perforata. Alijs, duabus tantum drachmis cum melle sumptæ aluum soluunt.

Iris Florétiæ vulgo. Pro Illyrica aut Macedonica, Florentina hodie assumitur. Inter Illyricas & Macedonicas quæ meliores sunt, laudatissima putatur Dioscoridi quæ pumili ferè & densa constat radice, frangenti contumax, subrufa colore, gustu amaro, odorè perquàm suaui ac syncero, ita ut nullum prorsus situm redoleat: quæ dum tunditur sternutamenta mouet. Secundum locum habet eidem auctori Africana, candicãs, gustuq; amara.

Iuncus odoratus. IVNCVS odoratus, in Africa & Arabia nascitur. Laudatissimus ex Nabathæa: proximus Arabicus, quẽ aliqui Babylonium cognominant, alij teuchitin: pessimus ex Africa.

Delectus. Eligendus est rufus, recens, floribus refertus, tenuis, rubentibus fragmentis, qui manibus confricando rosæ odorem emittit. igneæ mordacitatis ad linguam. Floris, culmorum, radicisq; est usus. Dioscorides.

L



AC probatur candidum, æquali craßitudine, quod ungui instillatum cogitur. Ex omni lacte fit, quod schistum, id est scißile, appellant. Lac autem fictili nouo feruet, ramoq; ficulneo recenti mouetur, inspersis, postquam bis aut ter efferbuerit, totidem aceti mulsi cyathis, quot sunt heminæ lactis. ita enim serescens liquidum ab eo diuiditur, quod in caseum concreuit. sed cum feruet, ne superfundatur, conueniet spongia ex frigida continuò fictilis labrum detergere, sextariumq; argẽteum frigidæ aquæ plenum demittere. Bibitur heminis per interualla singulis, usque ad quinas, ita ut intercedentibus spatijs, potantes ambulent. Diosc. Lac.

LACTVCAE syluestris succus ad eadem ualet, sed uiribus infirmior. Reponitur in fictili nouo lac eius, antea, ut in alijs liquaminibus moris est, insolatum. Lactuca syluestris.

LADANVM fit ex altero genere cisthi, quod ledon aliqui uocant. Siquidem cum cisthi frondes pascũtur capræ, hirciq;, pinguitudinem conspicuè barba carpunt, & suo lentore uillosis cruribus adhærescentem reportant. quam depectentes incolæ, colantesq;, cogunt in offas, & ita recondunt. Alij uero attractis funiculis, insidentem fruticibus lentorem abstergunt, conglomerantq; in ladanum. Maxime probatur odoratum, subuiride, facile mollescens, pingue, quod arenas non collegit, nec squallore obsitum est, resinosum. quale in Cypro gignitur. Ladanum.

tur. Arabicum uerò Lybicumq; uilius. Diosc.

Lana, & lanarũ medicina. Succidæ LANAE molles è collo, feminibusq; laudatissimæ habentur. Crematarum lanarum cinis medicamentis exquiritur. Vruntur autem mundæ, & carptæ, in fictili crudo, cæterorum more. Nec secus fimbriati marinarum purpurarum flocculi cremari solent. Aliqui cum sordibus lanas carpunt, & melle irrigant, eo denique modo urunt. Alij in fictili oris patuli, ueruculæ inter se distantia componunt, & concerptas carminatasq; lanas oleo ita suffusas, ut ne stillare quidem possint, assulis tedæ subiectis, & eisdem lanisq; permutatim interstratis, leuiter succedunt, & ustas tollunt. Quod si è teda pix, pinguitudóue ulla profluxit, collecta reconditur. Lauatur ad oculorum medicamenta. Cinerem in labellis, aqua addita, manibus confricant, & considere patiuntur: idq; sæpius, mutantes aquam, donec linguam astringat, nec mordeat. Diosc.

Laserpitium. LASERPITIVM in Syria, Armenia, Media, & Libya nascitur, caule ferulaceo, quem maspetum uocãt. Laser è radice atque caule scarificatis colligitur. præfertur autem rufum, translucens, myrrhæ æmulum, non porraceum, odore ualens, suaui gustu. quod dilutum facilè albescit. Cyrenaicum si quis degustarit, humorem toto corpore ciet, blandissimo odore, adeò ut ne os quidem gustãti nisi paululum spiret. Medicum & Syriacum minus uiribus ualent, & magis uirosum reddunt odorem. Laser omne antè quàm siccescat, adulteratur sagapeno, aut fabæ lomento. quod maleficiũ deprehenditur gustu, odore, uisu, & dilutione. Caulẽ aliqui silphion, radicem magu-

ma gudarin, & folia maſpeton uocauere. Efficaciſsimum laſer, mox folia, poſtremò caulis. Dioſc.

LATHYRIDIS ſuccus tithymalli modo exceptus, eundem effectum præbet. Dioſc. Grana huius ſeptem aut octo deuorata, aut pota, aluum purgant. Hæc cum ficu ſicca, uel palmulis ſumuntur Dioſcoridi. Sed aqua frigida poſtea ſorbenda. Multis abundè grana tria uel quatuor uentrem deijciunt, ut quotidiana ruſticorum experientia diſcitur. Quòd ſi hæc uera ſunt, ſubit admirari quomodo Lathyris grana uicena in aqua pura, aut mulſa ſemel pota, hydropicos ſanare quidam memoriæ prodiderunt. Nimis enim excellere mihi hæc doſis uidetur. Folia cum gallinaceo iure, aut oleribus decocta, eandem habent ſeminibus operationem, ut nobis auctor fuit Dioſc.

Lathyris. Doſis granorum catapotiæ minoris, id eſt lathyridis. Huius ſententię fuit Plini⁹.

E LENTISCO liquamentum ita fieri ſolet: Folia, cortex & radix in aqua coquuntur, & ubi abundè cocta refrigeratáq; ſunt, folia abijciuntur. aqua denuo coquitur, donec mellis habeat craſsitudinem. Dioſc. Lentiſcus.

LIGVSTICO pro pipere utuntur indigenæ, ad obſonia. Adulteratur ſemine quodam ſimili. quod facilè guſtu diſcernitur: amarum enim eſt. Alij ſemen fœniculi aut ſeſelis admiſcentes, liguſticum dolo uitiant. Dioſc. Liguſticum.

LILII foliorum ſuccus adiecto melle aut aceto in æreo uaſe coquitur, ad ulcera uetuſta, & recentia uulnera. Dioſc. Lilium.

LORA, quam deuteriam, alij potimon appellant, fieri ſolet, adiectis metretis tribus aquæ, in uinacea, quibus triginta uini metretæ extractæ fuerint: calcatis uinaceis, expreſ- Lora.

expressoq́; decocto ad tertias parteis, & additis in singulos congios modi eius qui remansit, binis salis sextarijs. post hyemem transfunditur in uasa. Lora intra annum utendum. etenim celeriter exolescit. Cōuenit ægris quibus timemus noxam uini, coacti sæpe desiderijs eorum obtemperare. item à longa ualetudine se recolligentibus. Fit & uinum quod adynamon uocant, loræ uires habens, hoc modo: Pares *aquæ & musti mensura coquuntur molli igne, donec absumatur aqua. quod, ubi refrixerit, elutriatum, picato uase reconditur. Alij marinæ & cœlestis aquæ, mellis & musti pares miscent portiones, decapulant, & quadraginta diebus insolant. quo ad annum utuntur ad omnia eadem.* Diosc.

Lycium. LYCIVM *nascitur plurimum in* Cappadocia, Lycia, *& plerisque alijs locis. aspera loca amat.* Succi *extrahendi ratio hæc est:* Rami *cum radiculis tusi & antè per multos dies macerati coquuntur, tum abiectis lignis itidem liquor, donec mellis craßitudo fiat.* Adulteratur *id lycium, adiecta decoctioni amurca, aut absinthij succo, aut felle bubulo.* Innatans *spuma inter coquẽdum exempta, oculorum medicamentis additur. reliquo ad alia utuntur. Simuli modo fit lycium, semine expresso & insolato.* Optimum *quod uri potest, restinctumq́; rubentem spumam ostendit, glebis extrinsecus nigris, intus, cum fregeris, rufis, odore minimè uiroso, cum amaritudine adstringens, crocino colore, cuiusmodi* Indicũ *est, cæteris præstantius.* Diosc.

Lyncis vrina. LYNCIS *urinam, quam lyncurium appellant, simulac excernitur, glaciari coiréue in calculi duritiam,*

uulgo

uulgo creditum est. quare quod de ea proditum est, uanum esse conuincitur. est enim quod à nonnullis uocatur succinũ pterygophoron, quòd pẽnas alliciat. Diosc.

M



AGNES lapis optimus, qui ferrum facile trahit, colore ad cœruleum uergente, densus, nec admodum grauis. Diosc. Magnes.

MALABATHRVM arbitrantur aliqui esse Indici nardi folium, falsi quadam odoris cognatione. permulta enim nardum olent, quemadmodum phu, asarum, niris. secus autem res se habet. Nanque malabathrum folium sui generis est, quod Indicæ gignunt paludes, lentis palustris modo innatans aquis, sine radice. Id collectum statim lino transsuitur, & siccatum reconditur. Tradunt siccatis æstiuo feruore aquis, humum aridis fruticibus uri: quod ubi non euenerit, ne amplius quidem renasci. Laudatur recens, ex candido nigricans, integrum, nec fragile, odore caput feriens, quod diu insuaui odore permaneat, & nardum sapore imitetur, nullo salis gustu. Infirmum uerò & minutim contusum, præsertim si cariosum uirus olet, uitiosum est. Easdem nardo sortitur uires, sed efficacius omnia præstat. Vrinam uehementius ciet, ac stomacho magis prodest malabathri uus. Diosc. Malabathrũ. Delectus.

MANDRAGORAE succus fit è cortice recentis radicis tuso, & prælis subiecto: qui insolatus ubi concre- Mãdragoras

uerit, fictili reconditur. Malis quoque succus depromitur, sed aliquanto ignauior. Delibratur radix, & traiectus lino cortex, ad usum suspenditur. Scarificata punctisq; multifariam aperta radice, erumpens lachryma, cauo uase recipitur. liquamentũ autem succo lacteo præstantius est. sed non ubique, ut experientia docet, radices lacteum succum delachrymant. Diosc.

Manna. Δροσόμελι. ἀερόμελι. MANNA illa optima censetur, quæ recens est, splendens & candicans, gustu melleam dulcedinem repræsentans, nullos surculos aut foliola implicans. huic proxima est subcitrina. pessima est fusca, cœnosa, antiqua.

Delectus.

Adulteratio. Impostores Mannam adulterant cum saccharo & folliculis senæ. Sed fraus detegitur, quòd procedente tempore mollescit, & liquescit. Itaque tametsi Manna ijs quibus insederit ita pertinaciter aliquando hæreat, ut non nisi cum fragminibus eorum decerpatur, ad dolum tamẽ euitandum, præstat eam eligere quæ nullis lignorum aut foliorum fragmentis admixta est.

Dosis. Dosis Mannæ Serapioni est à drachmis decem ad uiginti: Mesuæ à drachmis sex usque ad quindecim: Alijs ab uncia una dari potest ad uncias tres.

Marrubium. MARRVBII succus folijs tusis exprimitur, & sole cogitur. Diosc.

Lentiscina resina. Mastiche. Lentiscus resinam gignit, quæ LENTISCINA cognominatur, & ab aliquibus MASTICHE. Optima & copiosissima in insula Chio prouenit. Præfertur nitedulæ modo resplendescens, & candore Tyrrhenicæ ceræ similis, adulta, retorrida, friabilis, odorata, stridorem ædens. Viridis autem inferior est. Adulteratur thuris resi-

resinæq; pineæ nucis mistura. Diosc.

MEDVLLA laudatißima est ceruina. mox uitulina. post hanc taurina, dein caprina, & ouilla. Colliguntur æstatis exitu, cum appetit autumnus. quippe cùm alijs anni temporibus concrementum sanguinis, & ueluti caro friabilis, in oßibus inueniatur. nec facile cognosci potest, ni quis eam oßibus extrahat & recondat. Curantur recentes, adipis modo, aquæ respersu subactæ, selectisq; oßibus tantisper elotæ, & in linteum expressæ, donec aqua syncera emanet: & tersa sorde pinna, siqua innatet, liquatæ in duplicato uase in pilam exprimuntur. & ubi coiere, omni fæce, quæ ad ima sidit, derasa, fictili nouo reponuntur. quòd si libet incuratas reponere, facito omnia quæ de anserum & gallinarum adipe demonstrauimus. Diosc. Medulla.

Principem locum obtinet MEL, quod Atticæ regionis est, præcipuè ex Hymetto, mox Cycladibus insulis, & è Sicilia, cognomine hyblæum. Magis probatur dulcius & acre, odoratius, subflauum, nec humectum, graue, & minimè fluxum, quod ob sequacem lentitiam non facilè abrumpitur, tractumq; resilit in digitos. Primatum tenet in mellis genere uernum. deinde æstiuum. hybernum uerò, utpote quod craßius constet, deterrimum reputatur. ceraginis halitum expirat. Diosc. Mel.

MELANTERIA geminæ est originis, quædam in faucibus cuniculorum quibus æs eruitur, salis modo, concrescit. alia uerò in summa facie supradictorũ locorum coit, quæ terrena est. quinetiam inuenitur in Cilicia, & alijs quibusdam regionibus, foßilis quædam. Præstat, Melanteria.

quæ sulphuris colorem trahit, læuis, pura, æquabilis, & quæ contactu aquæ confestim nigrescit. Vim causticam eam obtinet, quam & misy. Diosc.

Melilotos, siue Sertula cãpana. MELILOTOS, siue SERTVLA Campana laudatißima in Attica & Cyzico & Chalcedone nata, cuius color uicinus est croco, boni odoris. Nascitur & in Campania circa Nolam, colore in luteum languescente, odore infirmo. Diosc.

Misy. MISY aſſumendum natione Cyprium, auri simile, durum, quod friando auri colorẽ imitatur, & stellæ modo splendet. Vim habet & ustionem cum chalcitide eandẽ, præter quàm quòd psoricũ ex eo non conficitur, excessus defectusq; ratione tantũ differens. Aegyptiũ autẽ cæteris præstat, utpote quod efficacius habeatur. sed ad ocularia medicamenta multo supradicto inferius. Diosc.

Molybdæna. MOLYBDAENA optima est flaua, argẽteæ spumæ æmula, modicè splendẽs, cum teritur rufa, cocta cũ oleo iocineris colorem trahit. Vitiosa est quæ aërem, aut colorem plumbeũ refert. Gignitur ex auro, & argento. Est etiam quædã foßilis ad Sebastiã, & Corycũ inuẽta, quo in genere probatur, quæ lapidosa nõ sit, aut recrementosa, sed nitens, & flaua. Vim habet spumæ argenti, aut recremento plũbi similẽ. Vritur, lauaturq; eodẽ modo.

Mori succus. MORI succus. decoctus autem æreo uase atq; insolatus, adstringẽtior redditur. Dios. Sed inolescit uis eius, adiecto scißili alumine, galla, croco, & myrrha. itẽ myricæ semine, iri, & thure. Immatura mori poma siccantur, tusaq; acinorũ rhois uice obsonijs miscentur, ut

Mori radix. cœliacos iuuent. MORI radix circiter meßẽ incisa, facto in

cto in ambitu scrobe, succum emittit, qui postridie concretus inueniri solet. Diosc.

BRYON, id est MVSCVS, à quibusdam splachnon appellatur. in cedro arbore, populo alba, & quercu inuenitur. Optimum est cedrinum: proximum populneũ. in quo genere candidum & odoratius præstat, nigricans improbatur. Diosc. Bryon. Muscus.

MYROBALANI lutei seu flaui, quos citrinos uocant, ex herbaceo colore flauescentes, eligendi sunt spissi, graues, seu ponderosi, exili nucleo, cute crassa, & gummosi. Cepuli, deligendi sunt, ampliores, grauioresq́; ex fusco rufescentes, hoc est subnigri, uergentes ad ruborem, carnosi, spisso cortice. Empelitici, siue emblici eligi debent, cute oßibus hærente, lapillorũ penè figura, carne ampliore, minutis oßibus, densi & graues. Belethzici, eadem quasi forma spectãtur qua empelitici. eligendi ergo sunt maiores, craßiores, cortice densi, & põderosi. Nigri, quos à colore cœruleo uulgus Indos nominat, eligendi sunt solidi, sine nucleis, oliuæ forma, ponderosi. hi à recẽtiore Græcia Damasonij uocitantur. Ea omnia Myrobalanorũ genera seu differentiæ, ab officinis ostendũtur. Quibusdã genere neutro efferuntur, & hoc ordine digeruntur, Lutea seu flaua, Inda, Cepula, Empelitica, Belethzica. Dosis Myrobalanorum est à drachmis duabus ad semunciam, uel drachmas sex in infusione: & à drachma una ad duas in substantia, ut uoluit Mesue. Myrobalani Aëtio, binûm, aut ternûm denariorũ pondere triti peculiariter superuacuũ capitis humorẽ exhauriunt: sed flaua, bilẽ fla

Myrobalani vel myrobalana secundũ Arabes. Μυροβάλανοι. Cepuli. 2. Empelitici. 3 Belethzici. 4. Nigri. 5. Dosis.

uam: atrā, nigra detrahunt: quēadmodū pituitā cepuli.

Myrrha. MYRRHA lachryma est arboris, quæ in Arabia gignitur, Aegyptiæ spinæ non dissimilis. è cuius uulnere defluit lachryma in subiectas tegetes. alia circum caudicem concrescit. Dicitur ex his aliqua pediasimos, præpinguis, qua expressa, stacte emittitur. alia gabirea, pinguissima, læto & pingui solo nascens. ea copiosam sudat stacten.

Myrrha troglodytica. Omniū prima est, quæ troglodytica appellatur, accepto cognomine ab loco, in quo prouenit, splendens, subuiridis, ac mordēs. quinetiā legitur tenuis quædam, quæ à troglodytica secunda est, bdellij modo mollis, uerum odore grauiuscula, apricis nascens. Alia caucalis cognominatur, præter modum exoleta, nigra, & retorrida. Omnium deterrima, quæ ergasima dicitur: pingui carens, cano situ obducta, acris, ad gummis imaginem uergens, & uiribus eius proxima. improbatur aminnea cognomine. ex ijs pastilli fiunt, sed è pinguibus pingues, & odorati: è siccioribus haudquaquam pingues, & inodorati. minus odore pollet, quæ oleum non admisit, cum in pastillos digerebatur. Adulteratur macerato gummi aqua, in qua myrrha maduerit. Eligenda est recens, squallore obsita, leuis, undique concolor, quæ confracta uenas unguiū modo candidas & læues ostendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calfaciens. superuacua & inutilis est pōderosa, coloris picei. Diosc.

Fit è myrrha, perinde atque thure, fuligo, &, ut postea ostendemus, ad eadem conueniens. Diosc.


Myrrha Bæotica. Bæotica MYRRHA, dissecta radix est arboris cuiusdam in Bæotia nascentis. Melior est quæ myrrham odore

odore repræsentat. Diosc.

MYRTI baccis uirentibus succus exprimitur, item folijs adfuso uetere uino aut aqua cœlesti. Cuius recentis usus est. Nam exiccatus planè cariem sentit, & uires amittit. Diosc. Myrtus.

MYRTIDANVM dicitur adnatum inæquabile, uerrucosum intumescensq; & concolor. quod perinde quasi manus myrti caudicem amplectitur. magis quàm myrtus adstringit. tusum addito austero uino reponitur, coactumq; in pastillos siccatur in umbra: multo efficacius & folio & semine, cerato, peßis, insesßionibus, cataplasmatis admistum, ubi adstringendum aliquid est. Diosc. Myrtidanū.

N



ARDI duo genera: unum Indicum, alterū Syriacum appellatur, nō quòd in Syria proueniat, sed quòd montis in quo oritur, pars una ad Syrios, pars altera ad Indos flectitur. Ex hoc Syriaci genere præcipuum est recens & leue, largā gerens comam, flauum colore, perquàm odoratum, ac cyperū redolens, breui spica, amaro sapore, linguā siccante, quod diu in sua odoris gratia permaneat. Ex Indicis autē nardum quoddam Gangitis uocatur, à fluuio Gange, apud quem enascitur, montem præterfluente. quod genus ob multā loci, in quo prodit, uliginem, uiribus infirmius est, atq; procerius adolescit, plures ferēs spicas ab unica radice, comosas, unaq; conuolutas, ac grauiter olentes. Montanum autē odoratius, spica Nardi genera.

breui ac mutila, odore cypero uicino, cæteras habens Syriaci dotes. Est & genus quoddam cui Sampharitico nomen locus indidit, frutice breui, in magnas se spargens spicas, candidiore interim medio caule, hircorum uirus supra modum redolēte, quod improbatur. Madefactum uendi solet. quod uitium ex eo deprehenditur, quòd candida sit spica & squallida, nulloq; puluere obsita. Adulteratur stilbio cum aqua aut palmeo uino, inspissationis ponderisq; causa inspirato. Intueri autem oportet si lutum radicibus insideat, & incerniculo puluerem excutere, eluendis manibus utilem. Diosc.

Nardum Celticum. NARDI Celtici cauliculorum & radicũ duntaxat usus est, & odoris suauitas. unde pridie fasciculos aqua abluere expedit, & exempta terra pauito solo atq; humenti subiecta charta reponere, postridie repurgare. siquidē utile, cũ aceroso, alienoq; propter humoris uim, non excutitur. Adulteratur imposita herba simuli, quæ hirculus uocatur, ab odoris grauitate: sed facilis cognitio. nanque herba cādidior est, sine cauliculo, minoribus folijs, radice neq; amara, neq; odorata, uti uerũ nardum est. Itaq; radices atq; cauliculi, abiectis folijs triti secernuntur, uino excipiuntur, digerunturq; in pastillos, & ita fictili nouo diligēter operto, asseruari debent. Laudatur maximè recēs, iucũdi odoris, radice numerosa cohærens, plenũ, nec fragile. Ad eadem quæ Syriacũ pollet: sed uehemētius urinā cit, & stomacho utilius est. Diosc.

Nitrum. Præfertur NITRVM leue, roseo colore, aut candido, in foramina dehiscens, perinde quasi spongiosum quiddam. quale ex Bunis affertur. Diosc.

NITRI *spuma optima esse putatur, leuißima, glebosa, friabilis, colore penè purpureo, aut spumosa, & mordens. qualis ex Philadelphia Lydiæ defertur. secũda est Aegyptia. quin & in Magnesia Cariæ gignitur. Vim & ustionem salis habet, tam nitrum quàm spuma eius. Aliqui supradicta carbonibus urunt, subiecta prius testa noua, donec incandescant. Diosc.* Nitri spuma.

O



ENANTHE *uocatur uitis syluestris fructus, cùm floret. Recondi debet fictili non picato, collectáque, substrato linteo, in umbra siccatur. Laudatißima in Syria & Cilicia & Phœnice. Diosc.* Oenanthe.

OESYPVM *uocant Græci, succidarum lanarum pinguitudinem. Cuius parandi ratio hæc est: Succidæ molles, radicula non curatæ, calida aqua lauantur, & quibuscunque sordibus expreßis, & in labellum oris ampli coniectis, aqua infunditur, magnoq́; impetu ligula, uti respumet, agitatur, aut lignea rude ualidiusculè conturbatur, quò largius sordida spuma colligi poßit, deinde marina respergitur. & cõsidente pingui quod supernatabat, collectoq́; in altero fictili uase, denuo aqua in labellum fusa agitatur. spuma iterum mari perfunditur, & demum eximitur. hoc tantisper fieri solet, dum consumpta pinguitudine nihil prorsus spumæ extet. collectum œsypum manibus emollitur. & si qua insedit spurcitia,* Oesypum.

confestim demitur. exclusaq; sensim omni aqua, recentiq; affusa, manibus misceatur, donec admotum linguæ œsypum, adstringat leuiter, nec mordeat: atque pingue candidumq; spectetur. tum in fictili uase conditur. Verùm omnia feruido sole fiant. Nonnulli excolatum pingue frigida aqua eluunt, & manibus, non secus atque ceratum mulieres, confricant. ita enim candidius redditur. Alij elotis lanis & sordibus quibuscunque exemptis, ac lento igni in æneo uase ex aqua decoctis, pingue quod supernatat collectum, aqua, ut diximus, lauant: colatumq; in fictilem patellam, quæ calidam aquam contineat, linteo operiunt, atque soli mundant, donec candidum fiat, & satis crassum. Alij bidui spatio aqua effundunt, nouamq; adijciunt. Melius est læue, radicula non curatũ, quod succidarum uirus oleat, & si manu in concha fricetur cum aqua frigida, albescat, nihil in se duri aut concreti habens. ueluti quod cerato aut adipe adulteratur.

Oesypum in testa noua torretur, donec redactum in cinerem, pinguitudinem amittat. Ex eo etiam fuligo colligitur, uti demonstrauimus. quæ in oculorum medicamenta commodè addi solet. Diosc.

Oleæ æthiopicæ lachryma.

OLEAE Aethiopicæ lachryma scammoniæ similis est, fulua, stillis exilibus constans, mordax. quæ autem ammoniaci, aut gummi similitudinem refert, colore nigricans, nec gustu mordens, superuacua est. Nostrates oleæ, oleastriq;, similem lachrymam sudant. Appellatur autem Aethiopica, & agrestis olea. Diosc.

Oleum candidum.

OLEVM candidum fit hoc modo: Album colore nec anniculo uetustius, in nouum fictile oris patuli funditur,

centum

centũ heminarum menſura, & ſub ſolẽ media quaq; die cõcha refunditur: ex altoq́; demittitur, ut aßidua deuolutione, ictuq́; agitatũ reſpumet: octaua die fœnumgræcũ mundum quinquaginta denariorum pondere, calida aqua madefactũ donec emolleſcat, in ſupradictum oleum deijcitur, ita ne extillet aqua. poſtea tedæ præpinguis piceæ, aſſulatim cæſæ æquale põdus adijcitur, & tranſactis octo diebus, oleum concha mouetur. Vbi candorem contraxerit, in uas nouum uetere uino affuſum recondi debet, ſubſtratis ſertulæ Cãpanæ corollis drachmas undecim pendentibus, cum pari iridis pondere. ſin minus, rurſus ſoli mandandum, & idem munus obeundum, uſque dum inalbeſcat. Dioſc.

OLEAE ſylueſtris exprimitur ſuccus tuſis folijs, affuſo uino aut aqua, ſiccatusq́; ſole in paſtillos digeritur. ſed longè ualidior ad recondendum ſuccus habetur, qui cum uino quàm cum aqua expreſſus eſt. uruntur cum floribus folia, ut ſpodij uicem cinis præſtet, in cruda olla, oblito ore luto, uſque dum figlinum percoquatur. reſtinctaq́; uino & rurſus ſubacta, eodem modo uruntur. poſtremo ceruſæ modo elota coguntur in paſtillos. Huiuſcemodi cinerem in medicamentis oculorum conſtat ſpodio non cedere, ſed eiſdem uiribus præditum eſſe putandum eſt. Foliorum ſatiuæ oleæ eadem uis intelligitur, ſed aliquanto inferior. unde ocularibus medicamentis ob ſuam mitiorem uim conuenientior eſt. Sudor ligno uirenti accenſo manans, illitu ſanat lichenas, furfures, & ſcabiem. Dioſc. Oleæ ſylueſtris ſuccus.

OLEI ſicyonij componendi ratio hæc eſt: In lebetem Oleum Sicyonium.

oris

oris lati ſtanno inductum, funditur olei albi quod crudæ oliuæ reddiderũt, congius unus, aquæ ſemicongius. leui id igne coquitur, leniter mouendo. at ubi bis efferbuit, & ſubſtracto igne refrixit, innatans oleum concha decapulatur, & adiecta noua aqua conferueſcit, & reliquis ut diximus peractis reponitur. In Sicyonia maximè fieri conſueuit, Sicyonij inde accepto cognomine. Calfactoriam ad quendam uſque modum uim habet. Febri ac neruorum uitijs prodeſt. fœminæ ad commendandum faciei nitorem eo utuntur. Dioſc.

Oleum omphacinum. Omphacinum appellatur OLEVM, quod ex immaturis oliuis exprimutur. Præſtat recens, odoratum, quod non mordeat. Tale unguentorum compoſitionibus idoneum intelligitur. Dioſc.

Omphacium OMPHACION, ſuccus eſt acerbæ uuæ, nondum matureſcentis è Thaſia uite, aut Aminæa. Oportet autem ante canis ortum, expreſſam melliginem in rubro ære, linteo cooperto, inſolare, uſque dum cogatur: ſemperq; quod ceruici uaſis cõcretum hæſit, reliquo humori permiſcere. noctu à ſubdialibus locis in lectũ referri. quandoquidem nocturni rores ipſum concreſcere non ſinunt. Eligendum eſt flauum, friabile, uehementer adſtringens, & linguam mordens. Sunt qui coquendo melliginem cogant. Dioſc.

Opium. OPIVM optimum habetur graue, & denſum, guſtu amarum, odoratu ſoporiferum, quod facilè aqua diluitur, læue, candidum, neque aſperum, neque grumoſum, quod inter colandum non ut cera coëat, & in ſole diffundatur. dein admotum lucernis, non atra luceat flamma, extin

extinctum deniq;, odoris uim conseruet. Sed opion glaucio, gummi, aut syluestris lactucæ succo, adulterant. Verùm glaucio fucatum, in dilutione croci colorem reddit: lactucaceo succo fictum, exiliter spirat, & asperius spectatur: gummi uitiatum, splendescit, & infirmū est. Nec desunt qui eò dementiæ deuenerint, ut adipem ei admiscerent. Fictili nouo torretur ad oculorū medicamenta, dum mollius, atque rufius appareat. Diosc. Vide plura in PAPAVERE.

P



PALMA, quam aliqui Elaten aut Spatham appellant, fructus palmarum adhuc florētium, inuolucrū est calyxq́;. quo in spissamenta unguentarij utuntur. Optima habetur odorata, astringens, ponderosa, præclusa, intus pinguis. Inuolutusq́; in ea elate fructus, quem suo amplexu fouet, elate etiam uocari solet, & ab aliquibus borassus. Adstringit, & spathæ effectus præstat, non sic unguentis expetitus. Alba medulla caudicis recens in cibo, aut decocta eadem facit quæ borassus. Diosc. Palma elate. Spatha.

Nuclei PALMARVM, cæterorum more cremati in crudo fictili, & uino restincti, cinere loto, spodij uicem efficiunt. miscenturq́; in calliblephara. quòd si non iustam ustionem acceperint, denuo cremandi. Diosc. Palmarum nuclei.

PANACES nascitur in Cyrene Libyæ, & Macedonia. Excipitur succus incisa radice, recenti cauliū pullulatu. ea candidū succū emittit, qui siccatus in summa cute Panaces.

croceum

croceum colorem contrahit. Effluentem autem ſuccum excipiunt, folijs excauato ſolo ſtratis, quæ ſiccata tolluntur. Simili modo caule meßibus inciſo, profluentem ſuccum eximunt. Meliores ex radicibus, albæ, rigentes, diſtentæq́; ſiccæ, quæ cariem non ſentiant, aromaticæ, feruentes guſtu. Fructus ex media ferula cibo idoneus eſt. ſed ex agnatis ſtolonibus, ab uſu cibario abhorret. Maximè in hoc ſucci genere probatur, quam amarißimus, interne albus, aut ſubfuluus, foris ad croci colorem inclinans, læuis, pinguis, friabilis, tener, ſtatim in aqua eliqueſcens, graui odore. niger improbatur, ac mollis. Adulteratur ammoniaco aut cera. Sed ſynceri experimentum eſt, ſi digitis in aqua friatus reſoluatur, & lacteſcat. Dioſcorides.

Pancratium.

PANCRATIVM ſcillæ uires & præparationem habet. eodemq́; pondere in morbis efficaciter aſſumitur. cui tamen mitior quàm ſcyllæ facultas ineſt. Radicis ſuccus cum erui farina digeritur in paſtillos, qui hydropicis ſplenicisq́; cum hydromelite, commodißimè dantur. Dioſcorides.

Papaueris calyces.

PAPAVERIS calyces tunduntur uirides, & digeruntur in paſtillos, qui ſiccati ad uſum reconduntur. Capita quoque per ſe in aqua coquuntur ad dimidias, iterumq́; adiecto melle, dum humor coëat in eclegmatis lentorem. id medicamētum in tußi, arteriæ fluxionibus, & cœliacorum affectu, doloris leuamentum præbet. efficacius tamen redditur, addito hypociſthidis ſucco, & acacia. Dioſcorides.

Papaueris nigri capita & folia.

DE MECONIO & OPIO. Aliqui capita ipſa, nigri

nigri PAPAVERIS *& folia tundunt, & prælo exprimunt, terentesq́; in mortario, digerunt in pastillos. id* Meconium *uocatur, multum opio ignauius.* Porrò *opij faciundi ratio hæc est: Cùm ros in eo exaruerit, cultro decussatim in stellas, ne penitus adigatur, ex obliquo in rectum summa cute incidere oportet, lachrymam exeuntem, digito in concham abstergere: nec multo post redire, ut concreta inueniatur. etenim quæ tum, aut postero die etiam offenditur, in uetere pila teri debet, & in pastillos cogi. cum tamen inciditur, retrocedendum est, ne uestibus succus deradatur.* Diosc. Meconiũ & Opium.

PEPLI *fructus tusus & feruefactus reconditur.* Peplis.

Pepli *semine poto, aluus soluitur.* Media *potio est acetabuli mensura in aquæ heminis tribus: & cibis inspergitur, obsonijsq́;, ad molliendam aluum.* Peplis *colligi, & reponi ac dari, uti peplos, & sale condiri solet.* Easdem *habet uires.* Diosc. Dosis.

PEPONIS *succus cum semine, adiecta farina, siccatus in sole cogitur in smegmata, quæ faciem repurgãt, & nitorem afferunt.* Diosc. Pepo.

PEVCEDANI *tenera radix cultello conciditur, profluensq́; è plaga succus umbræ mandatur. in sole siquidem confestim euanescit.* Colligitur *capite prius & naribus rosaceo perfusis, ne capitis dolor premat, & uertigo sentiatur. assatione radix inutilis fit.* Tam *lac quàm succus radice & caulibus extrahi solet, sicuti è mandragora. uerùm inefficacior succo lachryma habetur, & uelocius expirat.* Interdum *etiam concreta inuenitur lachryma, thuris similitudine, caulibus radicibusq́;* Peucedanũ.

adhær

adhærens. Præfertur ſuccus è Sardinia & Samothrace, colore ruſo, odore graui, feruens guſtu. Dioſc.

Phrygius lapis. PHRYGIVS lapis, quo infectores in Phrygia utuntur, à qua nomen accepit, naſcitur in Cappadocia. Optimus habetur pallidus, modicè grauis, non ſolida corporis compage, intercedentibus albis ſegmentis, ut in cadmia. Vritur autem uino optimo perfuſus, uiuisq; carbonibus obrutus, perflatur aßiduè follibus, donec mutato colore ruſeſcat. rurſus extractus eodem uino reſtinguitur. hoc iterum & trinis uicibus faciendum. attendendũ tamen, ne minutim confringatur, & in fuliginem euaneſcat. Lauatur ut cadmia. Dioſc.

Phu. PHV adulteratur radice ruſci ammiſta: ſed maleficium deprehenditur: quoniam hæc dura eſt, & frangenti contumax, ſine ulla odoris gratia. Dioſc.

Piceæ & Pini fuligo. PICEAE & PINI fuligo ad calliblephara, & librarij atramenti confectionem excipitur. Dioſc.

Picis liquidæ fuligo. PICIS fuligo liquidæ fit hoc modo: In lucerna noua quæ ellychnium habeat, nonnihil picis incendito, lucernamq; fictili uaſe in clibani ſpeciem conformato, ſuperius in anguſtum fornicato, inferius perforato, ut clibani eſſe ſolent, operito, & adoleri ſinito: conſumptoq; liquore nouum infundito, quoad ſufficientem uſui fuliginem collegeris. Dioſc.

Picinũ oleũ E pice fit quod PISSELAEON appellant, ſeparato liquore aquoſo, qui ſupernatat pici, ſicut ſerum lacti. Nam expanſa, quãdiu pix coquitur, ſupra cortinam uellera pura madeſcunt, acceptoq; halitu eius exprimuntur in uas. Quas pix liquida, præbet utilitates. Dioſc.

Piper

PIPER *nigrum, utpote quod tempestiua maturitate collectum sit, odoratum esse constat, candido suauius, acrius, & ori gratius, necnon ad condimenta utilius. sed candidum, & adhuc in acerbum uergens, albo & longo infirmius est.* Eligi *oportet grauißimum, plenum, nigrum, sine multis rugis, recens, minimè furfurosum.* In*ueniuntur etiamnum in genere nigri semina nutrimento defecta, cassa, inania, nunimiq́; ponderis, quod uocant brasma.* Diosc. Piper nigrū.

PISCIVM *fluuiatilium pinguia perunctis oculis claritatē adferunt, si in sole liquescant, & melli admisceantur.* Diosc. Pisciū fluuiatiliū pinguia.

Nascitur *in* Apolloniatarum *agro circa* Epidaurum *quæ* PISSASPHALTOS *appellatur.* Ea Ceraunijs *montibus deuoluta, impetu fluminis rapitur, æstuq́; in litus expuitur, illic coacta in glebas. mistam bitumini picem redolet.* Diosc. Pissasphaltū.

PITYVSAE *(alsebram uocat* Mesue, *nostri esulam) corticis radicis dosis est, à ceratijs duobus usque ad septem, & lactis ab uno ad tres.* Q*uæ nimis est exigua quantitas.* Dioscorides *nanq; radicis pityusæ drachmas duas, fructus unam, succi cochlearium, foliorum ternas drachmas exhibet.* Pityusa. Dosis.

PIX *arida. liquida pix decocta in spissam coit, quam uocant aliqui palimpissam. quo in genere quædam uisci modo lentescit, boscas cognominata. altera sicca est.* Pro*batur pura, pinguis, odorata, subrufa, resinosa.* Talis Brutia & Lycia, *picis resinæq́; simul naturam habentes.* Diosc. Pix arida.

Plumbum elotum.

Lotura PLVMBI *sic fit: In mortarium plumbeum aquam inijciens, pistillo plumbeo terito, donec nigrescat aqua, & limi modo crassescat, aut lutulēta reddatur. linteolo deinde colato, aquam superinfundens, quo facilius quicquid est resolutum incerni poßit. hoc iterum facito, usque dum satis tibi habuisse uideatur. ubi consederit, priore aqua effusa, nouam adijciens, ut cadmiam lauato, donec nulla extet nigritia. postea in pastillos cogens reponito. Quidā scobem mundi plūbi lima quæsitam, mortario pistilloq; lapideis terunt, aut manibus cū aqua paulatim adiecta fricāt, donec nigrescat. mox ubi id pessum ierit, effusa aqua, colligunt in pastillos. nam tritum uehementer, cerusæ simile redditur. Alij elimatæ scobi modicam plumbaginem adijciunt: affirmantes ita elotū plumbum præstantius esse. Diosc.*

Plumbum vstum.

Vritur PLVMBVM *sic: Super quàm tenuißimas plumbi laminas, fictili nouo inditas, sulphur inspargito, additisq; alijs rursus laminis, interiecto semper sulphure, usque dum uas expleueris, succendito. flagrante autem plumbo, ferrea rude uersato, donec perfectè redigatur in cinerem, nihilq; è plumbo non ustum hæserit. tum demū, obstructis naribus, eximito. alioquin halitus plumbi noxius sentitur. Aut elimatam plumbi scobem in olla cum sulphure urito. Alij laminas in fictili crudo, ut dictum est, imponunt fornaci, aut foco, & circumlinentes operculum, dato exili spiramento, urunt. Alij pro sulphure cerusam aut hordeum inspargunt. Alij integras laminas imponentes, acri igne utuntur, & rudicula ferrea cōtinuè mouent, dum in cinerem soluantur. sed diffi-*

cilis

cilis huiusmodi ustio, & si uehementius uratur, contrahit spumæ argenti colorẽ. magis tamen nobis placet prima urendi ratio. Plumbum ustum lauatur ut cadmia, & reconditur. Eosdem effectus habet, quos plumbum elotum, sed multo acriores.

PLVMBI recrementum, quod scoriam uocant, optimum est, densum, fractu cõtumax, cerusam planè repræsentans, nihil plũbosi habẽs, quod ad luteũ colorem accedit, & uitri splendorem imitatur. Eadem quæ plumbũ exustum potest, sed magis adstringit. Lauatur in mortarijs infusa aqua, & refusa summa aquæ parte, quæ luteũ colorem duxit. idq́; sæpius, dum recrementum absumatur. dein ubi consederit crassamentum, aqua effusa, digeritur in pastillos. MOLYBDOIDES lapis à plumbi similitudine dictus, respondentem recremento uim habet, & eodem modo lauatur. Diosc.

Plumbi recrementum.

Molybdoides lapis.

POLIVM melius est montanum. Diosc.

Polium.

Melius & efficacius est POLYPODIVM quod in uetustis arborum, & maxime montanarum quercuum nascitur, quàm quod in petris inuenitur. Hoc enim super fluam habet humiditatem, & (ut inquit Mesue) indigestam, quæ flatus, nauseam & stomachi subuersionẽ excitat. Illi autem querno Polypodio bonitatis notas octo Mesue attribuit, sed obscurè multum, & non conformiter bonis auctoribus. Deligendum itaque censemus Polypodium illud, quod eas habeat proprietates, quas illi suprà ex Dioscoride & Plinio aßignauimus. Dosis Polypodij est Mesuæ à drachmis duabus usque ad aureos quatuor. Aëtius expurgatæ radicis scrupulos sex,

Polypodiũ. Delectus.

Boni polypodij notæ obscurè traduntur à Mesue.

Dosis polypodij.

qui in aqua mulsa præferbuerint, exhibet. Orib. drachmas duas coquit in ptisanæ succo, datq; bibēdū succum. Sunt qui unciam integram sine noxa dederunt.

Pompholyx. POMPHOLYX specie sola, non genere, à spodio distat. Siquidem SPODOS nigricat, & plerunque ponderosior est, palearum pilorumq; plena, quasi purgamentum quoddam, quod ab ærariarum officinarum pauimentis & fornacibus euerritur. Pompholyx uerò pinguis est, & candida, usque adeò leuis, ut in auras euolare poßit. Cuius duo fluxerunt genera. unum ad aëris colorem uergens, subpingue: alterum magnopere candidum, summamq; leuitatem nactum. Candida fit pompholyx, quoties in perficiundo ære, fabri præstantiorem facere uolētes, detritam cadmiam cumulatius insparserint. Nanq; tenuißima fauilla, quæ effertur, in pompholygē coit. Cæterum pompholyx non ex æris modò materia & fabrili industria factitatur, sed ex cadmia quoque, ad gignendam ipsam, eximiè follibus proflata. Cuius faciundæ ratio hæc est: In domo gemina contignatione operta, fornax extruitur, iuxta quam mediocris fenestra ad tabulatum à supernis partibus pateat. domicilij paries fornaci proximus, tenui foramine ad fornacem usque perforetur, ad excipiendam follis narem. ostiū mediocre habeat, pro exitu ingreßuq; artificis fabricatum. domuncula altera huic coniuncta sit, in qua & folles & flator suo munere fungantur. deinde carbonibus in camino succensis, aßidens artifex cadmiam particulatim fractam inspargit, à locis supra infurnibulum extructis. idē negotium obit infernè artificis minister, simulq; carbones

nes adijcit, usque dum indita cadmiæ copia prorsus absu matur. itaque egesta suffitu tenuis pars & leuis materiæ in summam domum euolat, & parietibus, tectis, forni=ciq; adhæręscit: conflatum autem inde corpus, inter ini=tia erumpentibus aquarum bullis simile prodit, postea maius incrementum capessens, glomusculis uellerum si=mile redditur. ponderosus autem in ima loca se recipit. sed hoc fornacibus offunditur, illud domus pauimento cohæret. quod tenuiore deterius existimandum est, ideo quòd multum terræ collegerit, & spurcitia in aceruā=tione refrerciatur. Sunt qui hoc modo tantùm fieri spo=dium arbitrantur, de qua antè dictum est. Optima credi=tur Cypria, quæ accepto aceto halitum æris præstat, co=lore aliquantum picco, sapore cœni horrido: & si frau=dem non experta flagranti carbone infrruescit, aëreum colorem contrahit. Antedictis autem notis, diligenter at=tendendum est. Siquidem à nonnullis adulteratur tauri=no glutine, ouillo pulmone, aut marino, aut crematis grossis, & quibusdam consimilibus. Quod facile cogni=tu fuerit. quippe nihil in ijs probãdis inuenietur eorum, quæ antè dicta sunt. Pompholygem in commune ita laua ri oportet: Ligatam linteo mundo modiceq; raro, aut siccam, aut aqua respersam, in labellum demittito, quod imbrem contineat, & huc atque illuc fasciculum defe=rens, immergito. ita enim limosa pars eius ac utilis ef=fluet, & omne sedimentum in linteolo remanebit. postea residere sinens, aquam cum cinere colis incernito, & no uam infundens, agitato, & effundito: mutata tantisper aqua, & colata, dum arenosi nihil sidat. demum aquam

exprimito, & siccatum cinerem recondito. Alij, quantum maximè fieri potest, siccant, & manibus in aqua conterunt, dum mellis crassamentum imitetur. deinde linteo faucibus excepturi uasis obtento, aut laxius illigato, colant: & quò facilius transeat, infusa per linteum largiore aqua, cinerem conturbant. mox spumosum, quod traiectum est, & supernatat uasi, concha excipiunt, & fictili nouo ad usus recondunt. quod uerò resedit, sensim cribratũ, in aliud uas transfundunt, relicto arenoso quod pessum ierat. rursus lapidosa sidere patiuntur, & in uas aliud excolant. hoc identidem faciunt, donec cinis merus & arenæ expers inueniatur. Alij paulatim integram in aqua respergunt, arbitrati arenas lapillosq; suo pondusculo degrauatos, pessum ire: pilos autem & paleas leuitate sua in sublime attolli. cæterùm cinerẽ medium separant, & in pilam coniectũ, ut cadmiam, eluunt. Quin etiam lauatur uino Chio marina aqua diluto, modis quos suprà diximus. & ita redditur adstringentior, quàm aquis elota. Quòd si spodon torrere libet, diligenter tritam & irrigatam aqua, colliges in pastillos, fictilique nouo, subiectis leuibus prunis, orbiculos continuò uersabis, dum aßiccati fuluescant. Neque ignorandum, ex auro, argento, plumboq; fieri spodion. uerùm post Cyprium, plumbeum maximè commendatur. Quoniam spodos sæpenumero desideratur, necesse est ostendere, quæ simili uirtute polleant, ut in spodij locum suffici possint, antispoda uocant: quoq; modo sumi debeant. Folia itaque myrti, cum floribus & baccis immaturis, in fictile crudum coniecta, indito operculo continua foramina haben

Spodium.

De spodij succidaneis.

habente, uruntur fornacibus, donec figlinum percoquatur. iterum in fictile aliud crudum transferuntur: quod ubi perassatum fuerit, exempta lauantur ad usus. Idem quoque fit è termite syluestris oliuæ, si habeatur: sin secus, satiuæ cum suis floribus, aut mâlis cotoneis dissectis, & detractis oßibus, aut gallis, aut laceratis linteolis, itē ex moris immaturis, id est candidis, in sole prius arefactis, aut terebintho, aut lentisco, œnanthe, aut mollibus rubi folijs, uel è buxi coma, uel pseudocypero cum flore. Alij ficulneas frondes in sole antea siccatas, eodē modo parant. alij taurinum gluten. alij succidas lanas asperas, pice aut melle irrigatas. Quæ omnia in spodij uicem usurpantur. Diosc.

POPVLVS resinam fundit, quæ in malagmata additur. Lachrymam populorum commemorant quæ in Padum amnem defluat, durari, ac coire in succinum, quod electrum uocāt, alij chrysophorum. id attritu iucundum odorem spirat, & aurum colore imitatur. Diosc. Populus. Propolis.

PROPOLIS eligi debet flaua, odorata, styracē referēs, in uehemēti ariditate mollis, et mastiches more ductilis. In aluearioru͂ foribus, cerosæ naturæ inuenitur. Dio. Delectus.

PRVNIS prima laus à Damasco Syriæ monte cognominatis, tribuitur, nigra cute, carne suaui, rotundo ligno, exili nucleo. Hæc iampridem, ut Plinius inquit, in Italia nascuntur. Proxima datur (Ibericis) quæ ab Iberia & Hispania deuehuntur. Inter Damascena optima censentur Galeno, quæ sint mediocriter adstringentia, magna & laxa. Decocta in melicrato, plus mellis habente, uentrem molliunt, magisq; si melicratu͂ superbibatur: Pruna. κοκκύμηλα. Electio.

dehinc uinum dulce, & prandium differatur. Aluũ etiã cient si sola manduntur: sed prandiũ inchoare debẽt. Satis autẽ est decocti prunorũ tam satiuorum quàm syluestrium singulos cyathos sumi. Sed syluestria aluum & tormina sistunt, præsertim in uino austero decocta. Mesue decoctum prunorum exhibet, usq; ad libram unam. Porrò quo dulciora sunt pruna, eo magis uentrem emolliunt. Ea Græcis (coccymella) nominantur.

Pruna prandium inchoare debent.

Modus decocti prunorũ.

Psoricum.

PSORICVM. uide CHALCITIS.

Psyllij genera duo apud recentiores.

PSYLLIVM. Recẽtiores duo eius genera statuerũt. unum calamo exili & longo, in cuius spica cõtinetur semẽ, pulicis colore, et magnitudine. Alterũ sarmẽtosum, floribus canino capiti similibus, fabaceis capitellis, semine pulicis effigie, radice tenui & superuacua. Psyllium maxime cõmendatur semine, in medicina: Plurimo enim, inquit Aëtius, usui est. Psylliũ ueteres neq; Græci, neq; Latini, per os exhibuerunt, sed extrinsecus tantũ ad molliẽdũ refrigerãdumq; imposuerũt. Modus parãdæ mucillaginis Psyllij, ex Tralliano & Aëtio est requirẽdus.

Psyllium maxime cõmendatur semine

Pumex.

PVMICIS probatio, ut magnopere leuis, spongiosus, scißilis, nec arenosus, item teri facilis, & candidus. Crematur flagrãtißimis carbonibus obrutus, & ubi canduerit, extractus, uino restinguitur odorato: iterumq; incensus extinguitur: & tertia ustione exemptus, & per se refrigeratus, ad usus conditur. Diosc.

Punicum mâlum domesticum & syluestre.

PVNICI mâli domestici & syluestris flores, id est, cytini & balaustia exprimuntur, ut succũ remittant, instar hypocisthidis, cuius etiam uires referunt. Diosc.

Pycnocomon.

PYCNOCOMI succum si libet eximere, tusa radix in fictili

in fictili mergitur, & agitata aqua, quod supernatat pinna selectum, exiccatur. Diosc.

PYRITES lapidis genus est, à quo æs conflatur. Eligi debet æris similitudine, facilè scintillas ædens. Pyrites. Delectus.

Vritur sic: Melle irrigatus molli pruna, continuò flatur follibus, donec rufescat. Alij in multos carbones igni candentes, lapidem copioso melle perfusum deijciunt, & ubi ad fuluum colorem uergere cœperit, extrahunt: efflatoq; cinere, rursus madefactum cremant, donec æquabiliter aßiccatus, friabilis reddatur. Siquidem sæpe facies summa solum uritur. Ita crematus, siccatusq; recõditur. Si eloto opus sit, lauari debet ut Cadmia. Diosc.

R



RESINA liquida è pinu & picea, à Gallia & Hetruria conuehi solet. atque olim à Colophone petebatur: hinc Colophoniæ sibi cognomentum uendicauit. A Gallia quoque subalpina: quam uernaculo nomine laricem appellant incolæ. Ea in linctu, & per se, magnopere prodest tußi ueteri. Colore inter se distant. siquidem alia candida est, alia oleosa, alia mellei liquoris similitudine: ut larigna. Cupressus etiam liquidam fundit resinam, quæ ad eadem pollet. Quæ uerò aridarum generi ascribuntur, quædam ex pineis nucibus, aliæ abiete, aliæ picea & pinu exierunt. Eligi debet longè omnium odoratißima, translucens, non retorrida, neque diluta, quandam Resina liquida è pinu & picea. Electio.

ceræ faciem præbēs, & friabilis. E picea & abiete resinæ, cæteras antecedunt. odoratæ enim sunt, atque thus odore imitantur. Præstantiores à Pytiusa insula deferuntur, quæ secundum Hispaniam sita est. Sed quæ è picea, nucibus pineis & cupresso manarunt, nihil ad illas, nec tantis uiribus potiuntur. Veruntamen eorundem gratia quorum & illæ sumi solent. Lentiscina terebinthinæ respondet. Vritur resina omnis liquida in uase quadruplæ capacitatis ad humorem, qui infunditur. itaque resinæ congius, in duobus aquæ pluuiæ coquitur, subiectis leuibus prunis, resina aßiduè mouetur, donec omnis odor aboleatur, & friabilis & retorrida reddatur, ac digitis cedat. Cæterum ubi refrixit, in fictile non picatum, quod aconitum uocant, id est non illitum, reconditur.

Fiet etiam eximij candoris, si resina omnis eliquata præcoletur, quò fæculenta sordes excernatur. Vruntur quoque sine aqua, primùm lento igne: & ubi coire cœperunt, maior carbonum strues supponitur, & triduo citra intermißionem discoquuntur, usque dum antedictas naturæ suæ notas exuerint. mox, ut dictum est reponuntur. Aridas unius diei spatio decoxisse satis est. Fuligo è resina perinde atque thure excipitur. Diosc.

Rha barbari apud Mesuen tria genera.

RHABARBARVM. Tria eius genera fecit Mesue: Indicum, quod rauedsceni appellat, omnium optimum. Barbarum, quod secundum in bonitate locum obtinet. & Turchium (ita enim uocat) multo alijs inferius & inefficacius.

Boni Rhabarbari notæ.

Laudatur Rhabarbarum Mesuæ,

1 Subnigrum vergens in ruborem.

Graue

2 Graue cum sua raritate.
3 In quo dum frangitur, inuenitur disgregatio, ex rufo & glauco.
4 Quod colorem reddit ad crocũ inclinantem.

Non eget correctione, quæ fit per spicam Rheon hoc nostrum barbaricum: tum quòd commixtas habeat uires, tum quòd uera spica caremus: & ea qua hodie utimur, horribilis ualde saporis est. Dosis seu quantitas *communis, nostri Rheubarbari in infusione, ut loquuntur, est à drachma una ad drachmas duas uel tres ad summum. In substantia à drachma una ad drachmam unam & semis. Itaque modus Mesuæ in dando Rheubarbaro, pernitiosus est. ipsum enim exhibet à drachmis duabus & semis, usque ad drachmas decem: quæ quantitas non potest sine discrimine semel dari.* Non eget correctore. Spica vera caremus. Modus exhibitionis.

RHAPONTICVM *optimum habetur quod teredines non sensit, si gustatu cum remissa adstrictione lentescat, manducatumq; colorem reddat pallidum, aut ad crocum inclinantem.* Diosc. Rhaponticũ.

RHV *liquamentum fit ex aridis folijs, ad craßitudinem mellis in aqua decoctis, ad eadem, ut lycium conueniens. Semen eosdem effectus exhibet. aqua in quo semen maduit decocta, cogitur coitq;, efficacior ipso semine. Gummi defert, quod dentium canis imprimitur ad dolores finiendos.* Diosc. Rhu.

RICINVS. κρότων. *Grana eius triginta numero, putaminibus purgata, potu pituitas, bilem & aquas per aluum deijciunt* Dioscoridi*. Sed iniucunda admodum est & molesta purgatio. Siquidem stomachum uehementer subuertit. Hinc ferè semper accidit, ut qui hæc grana* Dosis granorum palmæ christi, id est Ricini.

sump

ſumpſerint, per ſuperna & inferna purgentur. Sunt tamen qui huius effectus (uomitionis inquam & purgationis per aluum) cauſam aliam aßignăt, nempe quòd dum hæc grana euelluntur, alia ſurſum, alia deorſum ducta ſint. Dicunt enim ruſticas mulierculas pro comperto habere, ſi quis ſemina deorſum trahens, euulſerit, & ea comederit, per inferna purgari: ſi uerò ſurſum, per ſuperna. Quod an uerum ſit, uiderint huius commenti aſſertores. Atque hæc de catapotia maiore dicta ſufficiant.

Superſtitioſum.

Roſarum ſuccus.

ROSARVM recĕtibus folijs ſuccus exprimitur, deſectis forfice unguibus (ſic appellătur candidæ foliorum partes) reliquum in pila premi & teri debet in umbra donec cogatur: & ita ad oculorum circumlitiones recondi. Siccantur etiamnum folia roſarum, continuò uerſata, ne muceant, néue ſitus inſideat. Dioſc.

Roſei paſtilli.

ROSEI paſtilli, rhodides Græcis, hac ratione conficiuntur: Roſarum uiridium, quæ nullo antea humore madefactæ extabuerint, drachmæ quadraginta, Indicæ nardi drachmæ decem, myrrhæ drachmæ ſex, tritæ digeruntur in paſtillos, qui trium obolorũ pondus æquĕt. ſiccatiq; in umbra, in fictili non picato, atque obturato reconduntur. Alij adijciunt coſti drachmas duas, iridis Illyricæ totidem, & uinum Chium cum melle miſcent. Mulieribus monilium uice collo circundato uſui ſunt. Dioſcorides.

Roſarũ quæ præferenda.


ROSAE. Inter roſas ea præferenda eſt quæ colorem habet exactè rubrum. Tam alba quàm rubra præſtantior habetur, quæ folia habet pauca, & læuia, ſeu, ut loquuntur, plana.

Succus.

Succus roſæ melior eſt qui ex completa

leta atque omnino absoluta rosa exprimutur, aut educi-
ur. Sicca rosa magis est adstrictionum particeps. uitan
a autẽ omnino quæ corruptionẽ sensit. Rosæ præ-
rtim recentes, decoctionem non sustinent, per hanc e-
im facultas earum detersoria ac purgatoria tota expi-
at, & deperit. Succus uero earũdem, modice decoctus,
ubtilior euadit, & magis abstersorius, ut auctor est Me
ue. Dosis potionis succi rosarum ipsi Mesuæ, est ab Dosis.
ncia una usque ad uncias duas cum saccharo. Si cũ se-
o lactis sumatur, satis est uncia una. Potio uero syropi,
x succo rosarum, aut infusione earum facti, eidem est,
b uncijs duabus usque ad quinque. Dioscorides & Ga
lenus, succum rosarum non ad alium quàm ad oculorum
usum reponunt. Folia decem recẽtia, aluum cuidam de-
cies duxerunt, ut refert Razis. Sicca autem folia, quia
ab eis receßit amaror, laxatiua non sunt, sed styptica,
& adstringentia. Apertus error est apud Mesuem, Mesuæ error.
qui per albas rosas solutionem fieri nullam scripsit. Ro-
sæ nanq; desceni uocatæ, & uulgò apud quosdam Da- Rosæ Dama-
mascenæ, cùm albißimæ sint, cæteras in purgando ex- scenæ.
cellunt. Tagautius.

S



SAGAPENIVM ferulaceæ Sagapeniũ.
herbæ succus est, quæ in Media
nascitur. Optimum est translu-
cens, fuluo forinsecus colore, &
intus albo, nescio quid inter laser
& galbanum redolens, gustu a-
cri. Diosc.

Neque

Neque autem mirum uideri debet de SAGAPENO si Chalbanem seu Galbanũ odore referat, cùm hæc duo naturæ adeò propinquæ sint, ut Chalbane mutetur in Sagapenum, ut Galenus scribit, libro de Antidotis. Porrò omnes Dioscoridis Sagapeni notæ in nostro uocato Sagapeno reperiuntur. Nascitur etiam in Italia Plinio, & nunc etiam in Apulia. Medum tamẽ cæteris est præstantius, & efficacius. hoc Venetias per Alexandriæ nauigationem ad nos adfertur: quod certe allij odorem habet uerius quàm porrorum. Veri Sagapeni probatio est Galeno, si aqua infusum aut uino, statim dissoluatur.

Sagapenum optimum.

Græci Sagapeno uim purgatoriam non adscribunt. Scripsit quidem Dioscorides ipsum crassam ex pulmonibus pituitam expurgare. Verùm nemo est inter Græcos aut Latinos, qui per uentrem inferiorem purgare unquam dixerit. hoc igitur & inuentum sit Arabum. Tagautius.

Sagapenum purgatoriũ non esse.

Sal.

SAL fossilis efficacior est. communiter, si est candidus, calculis uacans, & perspicuus, densus, æquali compage: peculiariter ammoniacus natione laudatur, si modo findi facilè possit, & in recta segmenta diduci. In marino sale eligendus est, cãdidus, æqualis, densus. Probatissimus in Cypro fit, & Salamine Cypri, & Megaris, in Sicilia & Aphrica. Sed inter dicta salis genera lacustris præfertur. sed multo ualidissimus est Phrygius, nomine tapeus, aut tritæus, aut gantæus. Vritur fictili, diligenter opertus ne exiliat, conditusq; prunis, usque dum efferuescat. Aliqui fossilem subacto polline obliniunt, & carbonibus subijciunt, usque dum eius crusta exuratur.

ur. Solet & sal communis hoc modo uri: Aqua semel bluitur, & siccatus in ollam coopertam mittitur, subdi o igne, moueturq́;, donec iã non exiliat. Spuma SA- Spuma salis. LIS, spumosi maris lanugo siue ramentũ est, in exilibus petris inuentum, cui uis eadem quæ sali. Diosc.

SALIS flos flumine Nilo defluit. lacubus tamẽ qui- Salis flos. busdam innatat. Assumendus, qui crocei coloris est, odo re ingrato, ceu gari. interdum longè magis uirus olet, gustuq́; mordacior, & pinguiter lentus. Fucatus autem rubrica, aut scrupulosus, improbatur. Præterea synce- rus non nisi oleo resoluitur: adulteratus nõnulla ex par te, etiam aquà, diluente factitium colorem. Diosc.

SALICIS excipitur succus qui manat ex ea, cum flo Salix. ret, exciso cortice. in plaga enim concretus humor inue- nitur, qui ad purgãda quæ obstãt oculis, suam uim præ- bet. Diosc.

SAMIA præfertur candida, leuis, tangenti linguæ Samia terra. glutinis modo adhærescens, mollis, succosa, friabilis, cuiusmodi est quam aliqui collyrion uocant. Duæ enim species eius. unam antè diximus. altera aster appellatur, crustacea, & cotis modo prædensa. Vritur ac lauatur ut eretria. Vimq́; consimilem habet. Diosc.

SAMIVS lapis, in Samia terra inuenitur, quo auri- Samius lapis. fices utuntur poliendo auro, ut resplendeat. Probatur candore, & duritia. Diosc.

SAMPSVCHVM in Cypro & Cyziceno lauda- Sampsuchũ. tissimum. secundum sibi locum uendicauit Aegyptium. Amaracum gens Sicula & Cyzicena appellat. Diosc.

SANDARACHA probatur rufa & saturatior, & Sandaracha. aliena

aliena materia uacans, friabilis, cinnabaris colore, sulphuris uirus redolens. Dos eadem & ustio, quæ auripigmento. Diosc.

Sarcocolla. SARCOCOLLA lachryma est arboris in Perside nascentis, pollini thuris similis, rufa, gustu amara. Adulteratur admisto gummi. Diosc.

Scammonia. SCAMMONIAE legitur ad hunc modũ succus: Capite exempto, radix in testudinis speciem cultro excauatur, quo fit ut in cauum confluat succus, qui conchis demum excipitur. Alij scrobes in terra concamerato sinu fodiunt, in quos, subiectis iuglandium folijs, profundunt succum, siccatumq; extrahunt. Laudatur autem scammonium leue, nitidum, rarum, & colore quamsimillimum taurino glutini, fungosum, tenuibus fistulis, quale ex Mysia regione Asiæ deportatur. Nec attendere solum par est, si linguæ tactu albescat (hoc enim euenit adulterato, quod admisto fit tithymali lacte) sed longè magis antea narratis. item si non uehementer linguam exurat. id quod musti tithymali argumentum est. natione autem Syriacum, & Iudaicum deterrima habẽtur, grauia, densa, erui farina & tithymalo uitiata. Diosc.

Scammonium quoniam cæteris præstat, quod in Colophone (quæ Insula est Ioniæ, Appollinis oraculo nobilis) gignitur, ideo & Colophonium nominatur. Itaq; eiusmodi succus, qui in quotidiano medicinæ usu ad purgationes præstantem & maximam uim habet, ad hunc modum colligitur Dioscoridi: Capite radicis exempto detractóue, radix ipsa in modum testudinis inuersa, cultro excauatur. Quo fit ut in cauum, seu cauernulam ipsam,

Modi 2. colligendi scãmonium, ex Dioscoride.

ipſam, lachryma ſiue ſuccus cõfluat, qui deinde conchis excipitur. Alij fornicem ſeu ſcrobes in terra concamerato ſinu fodiunt, in quos ſubiectis nucum iuglandum folijs, ſuccum effundi patiũtur, quem inibi reſiccatum demum tollunt. Quatuor modos colligendi eiuſmodi ſucci poſuit Meſue, ſecundum autem modum hunc Dioſcoridis omiſit. Primus eſt, radice in terra adhuc manente, inciſa, & excauata, ut modo ex Dioſcoride dictum eſt. Secundus, radice euulſa, & inciſa. Tertius, contritis radicibus & expreßis. Quartus ſtipite & folijs ſimul contritis. qui autem hoc ultimo modo exprimitur, ac colligitur ſuccus, ad uirorem ſpectat, & grauis eſt odoris. Quod tertio modo legitur ac ſeruatur, ſcammonium nigrum eſt, craſſum & ponderoſum ſiue graue ipſi Meſuæ. Sed qui ſecundo modo ex radice Scammoniæ profluit ſuccus, colore ſubalbido aut uario conſpicitur. Cæterum quæ modis his omnibus profunditur lachryma, uel lento atq; moderato igne eidem Meſuæ decoquitur, uel in ſole exiccatur, & in trochiſcos ſeu paſtillos, quos impreſſo ſigillo obſignare ſolebant, digeritur, atque ſic uſui reſeruatur. Nunc uerò quod in officinis oſtẽditur Scammonium, neque in paſtillos conformatur, neque ſigillo ullo obſignatur. Porrò radix ipſa circa canis ortum excauatur Plinio, libro 26. cap. 8. ut in ipſam, ſic ut modò dictum eſt, confluat ſuccus, qui ſole ſiccatus digeritur in paſtillos. Vis bimo nec ante nec poſtea. Medicinas omnes exacuit, & ſtomacho (ut Galenus ſcribit) inimicum eſt, atque eius diſſolutionem facit. Recentior autem Græcia, & officinæ noſtræ, lachrymã hanc,

[Margin: Modi 4. ex Meſue. — 1 — 2 — 3 — 4 — Tempus colligendo ſcammonio accõmodum. — Tempus durationis.]

quo minus stomachum offendat, in cotoneo malo decoquunt: atque tum illa Dacrydion, quasi dicas lachrymulam, uocat: hæ uerò corrupto uocabulo diagredion appellant. Tagautius. Plinio uero commendatur natione Colophonium, Mysium, Priennense, specie nitidum, & quàm simillimum taurino glutini, fungosum tenuissimis fistulis, citò liquescens, uirus redolens, gummosum, linguæ tactu lactescens, quàm læuissimum, cum diluitur albescens. Verum enimuero non solum hoc experimento niti conuenit, ut linguæ tactu aut cũ diluitur albescat: hoc enim etiam euenit adulterino, quod ammisto fit Tithymali lacte: sed fidelior probatio Dioscoridi & Plinio fit, à gustu, ne ualde linguam accendat, ac uehementer deurat, id quod permisti tithymali (inquit Dioscorides) est argumentum. Tithymalus nanque linguam excalfacit Bulbi more. Deterrimum uero habetur Scammonium Dioscoridi, natione Syriacum & Iudaicum, graue, densum, Erui, id est, Orobi farina, & Tithymali succo uitiatum. Quinque conditiones desiderantur Mesuæ in bono scammonio. Nempe ut sit splendens uel subalbida, aut uaria: linguæ attactu, & cum diluitur, lactescens, siue albescens (sed hoc experimentum ut diximus, fallax est) tenera ac friabilis: læuis: boni odoris, cum tamen Plinio illud laudetur, quòd uirus redolet. Aëtio inodora est & insuauis Scammonia. Dosis ultima scammonij per se, Mesuæ sunt grana duodecim. Aëtio scrupuli duo, uel, ut inquit, pro uirtutis ratione maior aut minor. Galeno & Oribasio exhibetur pōdere drachmæ unius. Dioscorides quoque integram drachmam

[Margin notes: Dacrydion. — Plinius. — Fidelis probatio boni scãmonij. — Deterrimum scammoniũ. — Notæ boni scãmonij. — Dosis scammonij. — Drachma una]

chmam non ueretur offerre: sufficere tamen ad soluendam aluum dicit duos obolos. Quòd si efficacius purgare uelis, quaterni oboli, cum duobus ueratri nigri, & Aloës drachma una, si ipsum Dioscoridem sequamur, dari possunt. Ego, inquit Manardus, licet nunquam sim ausus tantum dare, duodecim tamen grana transcendere non sum ueritus, scioq; quosdam scrupulum integrum hausisse sine noxa. scãmonij exhibetur Dioscoridi.

SCHISTOS lapis in Iberia Hispaniæ gignitur. Probatur maximè, qui croci colorem æmulatur, friabilis, suapte natura fißilis, concremento & alterno cohærentium uenarum, discursu, pectinum modo, ammoniaco sali similis. Vim exhibet hæmatitæ, sed ad omnia infirmiorem. Diosc. Schistus lapis

SCILLA uim acrem atque feruentem habet. assatam ad multa utiliorem esse constat. Polline ad crustam subacto, aut luto oblita, in clibanum cõijcitur, aut carbonibus obruitur, donec obducens crusta sufficienter intosta fuerit. qua exempta, si non emollescat, altero polline simili, aut luto circumlinitur, & eadem quæ prius fiunt. nam quæ ita non assatur, interaneis maximè noxia est. Torretur item in olla, indito operculo, quæ in furnũ demittatur. Sumi etiam solet quod maximè est medium, di reptis uiuo tenus tunicis. quod frustatim confectum coquitur, mutata sæpius aqua, donec ipsa nec amaritudinẽ nec acrimoniam habeat. Traiectaq; lino frusta siccantur in umbra, ita ut ne ulla quidem parte se contingant. his scillæ segminibus ad oleum, uinum, aut acetum scillinum utimur. Diosc. Scilla.

SQVILLA. Ea squilla melior censetur, quæ & dulcoris, & amaroris, atq; acrimoniæ particeps est: quæq; candidißima est, & in locis liberis nascitur. Addit Mesue & quæ parē habet. Sola enim (inquit) uenenosa est. Quòd si id uerum est, nemo unquam tuto Scylla utetur, nisi qui præsens fuerit dum effoderetur. Dosis aceti squillitici Mesuæ est à drachmis quinque usque ad duodecim. Oxymelitis uerò potio est ab aureis sex usque ad tres uncias. & trochiscorum scylliticorum à drachmis duabus usque ad quatuor. Ex Dioscoridis uerò sententia datur Squilla cochlearis unius uel duorum mensura, ad aluum leniendam. Idem tribus obolis in eclegmate coctam exhibet ad uarios affectus.

Dosis.

Scordium. SCORDIVM efficacius Ponticū, Creticumq;. Exprimitur eo etiam succus. Diosc.

Sene. SENE. Actuario feruefacti ius potius, quàm triti farina propinatur. Pulueris modus, eidem auctori, drachma; in decocto, semuncia; macerati, seu, ut dicunt, infusi potio communiter exhibetur à drachmis tribus ad semunciam. Mesuæ ab aureis tribus ad unciam unā. Decocti ex Sene uncia mediocriter purgat Manardo. Serapio, ut Actuarius, dat tritæ Senæ drachmam unam, decoctæ quinque. Ceterum cum Sene nostrum Gallicum purgandis corporibus ualere, multa iam experiētia comprobatum sit, non erit certe officinis tanquam inutile interdicendum: sed cum inefficacius sit altero quod orientale uocant, & in communi est usu, maiore paulo mensura erit exhibendum, ne sua expectatione & qui sumunt, & qui instituunt, frustrentur. Purgant autem efficacius

Dosis Senæ.

ficacius senæ siliquæ (quos folliculos uocãt) quàm φύλλα, id est folia: quod ipsum præter Mesuæ auctoritatẽ, & experientia comprobat, & ratio etiam dictat, ob contentorum scilicet in eis seminum potentiam.

SERVM optimum habetur, quod ex lacte caprarum iuuenum, nigrarum, recenter fœtarum, & bono pastu utentium, assumitur. Secundum locum obtinet, quod ex ouillo lacte separatur. & tertio loco habetur bubulum. Quamuis temperatissimum lac muliebre sit, mox caprillum, hinc asininum, ouillumq́;, postremo uaccinum. In se uerò consideratum probatur magis, recens, non corruptum, boni odoris atque saporis. Dosis seri Mesuæ est ab uncijs sex usque ad libram unam. Paulus Aegineta dari uiris iubet sextarios duos, pueris unum. Serum. Seri lactis optimæ notæ. Dosis Seri.

SINAPIS recenti semine expressus succus in sole siccatur. Diosc. Sinapi.

SOLANO hortensi, & halicaccabo succus extrahitur, qui siccatus in umbra reconditur, ad eadem ualens. Dioscorides. Solanũ hortense.

SORI existimarunt aliqui melanteriam esse, aberrantes. siquidem sui generis est sori, ei non absimule. uerum sorẽi uirus inest graue, & nauseam mouens. Inuenitur etiam in Aegypto, & alijs quibusdam regionibus, ut in Libya, Hispania, & Cypro. Præfertur Aegyptium, quodq́; frianti nigrius apparet, in multa foramina dehiscens, suppingue, insuper adstringens, & olfactu deuorationeq́; magnum uirus olens, ita ut stomachus in uomitiones effundatur. Quod autem friatum scintillas missyos modo non emittit, & alterius generis esse, & inua- Sori.

lidum censendum est. Vim & ustionem supradictis similem habet, scilicet ut misy & chalcitis. Hæc autem ferè omnia, & alia quæ ustionem experta non sunt, perustis ualidiora esse existimantur, præter salem & uini fæcē, nitrum, calcē, & consimilia, quæ cruda remißiora sunt. Combusta enim uiribus efficaciora redduntur.

Spartion & Genista. Seminis genistæ dosis. Dosis spartij.

De SPARTIO & GENISTA. Genistæ semen in folliculis Phasiolorum modo nascens, purgat sesquidrachma in aquæ mulsæ quatuor cyathis potu matutino, Plinio. De Spartio scribit Dioscorides, quòd flores & semina eius purgant per superna, ellebori uice, citra periculum, quinis obolis in aqua mulsa siue melicrato pota. Semen quoque ipsum exinanit aluum trahendo. Sed & ramis eius cum folijs in * aqua maceratis pluribus diebus & tusis, succus elicitur, Ischiadicis & anginæ laborātibus utilis, unius cyathi potu ieiunis. Quidam salsilagine, uel marina aqua macerare malunt, & subter Ischiadicis in aluum dare. Detrahit cruenta, strigmentaq; intestinorum. Sed super ijs nihil attentet Pharmacopola, medico inconsulto. Dosis Albrahin Mesuæ, & proprie florum (inquit) est à drachmis duabus usque ad quinq;: & seminis à duabus drachmis usque ad quatuor. Dioscorides, ut diximus, ex semine & floribus spartij dat quinque obolos, Plinius sesquidrachmam, id est drachmam & dimidiam genistæ exhibet.

* aliàs, in aceto. Plin.

Spongiæ.

E SPONGIIS alias mares appellauere, tenui fistula, spissas: quarum duriores tragos nominârunt. fœminas autem, quæ contrarias dotes habent. Vruntur ea, ut alcyonium. Cinerem in oculorum medicamentis lauare util

re utilius. Candidæ cura fiunt, è mollißimis recētes, per æstus tinctæ salis spuma, quæ petris cohæret, insolantur inuersæ, hoc est parte caua sursum spectante: & qua abscissæ fuerunt, deorsum. si uerò æstiua serenitate ad lunam sternantur, perfusæ salis spuma, aut maris aqua, maximum candorem referent. Diosc.

STYRAX lachryma est arboris malo cotoneæ similis. Præfertur sordescens, flauus, resinosus, albicantibus grumis, quàmplurimum in sua odoris gratia permanēs. qui dum mollitur, melleum liquorem reddit. qualis è Cataballis, Pißidia, & Cilicia deuehitur. Deterior niger, furfurosus, friabilis, canoq; situ obductus. Cæterum lachryma inuenitur gummium similitudine, perlucida, & myrrhæ æmula. uerum perpauca manat. Adulteratur ligni scobe, quam uermiculi erodentes excusserunt, melle, & iridis sedimento, & quibusdam alijs. Alij ceram aut adipem odoribus imbutum, flagrantißimis solibus cum styrace subigunt, & per laxa cribri foramina in frigida aqua uermiculos exprimunt, uænundantq;. Styracē hunc quoniam in uermiculorū speciem contrahatur, scoleciten cognominant. quem tanquam syncerum imperiti approbant, non animaduertentes ad præcipuam odoris fragrantiam. siquidem acer admodum est, qui adulterationis uitio caret. Styrax adoletur, & igni torretur, ut fiat ex eo, ueluti ex thure fuligo: ad eadem cōueniens, ad quæ thuris fuligo. Diosc. Styrax.

SVLPHVR optimum existimatur uiuū, quod apyron uocant, nitedulæ modo splendidum, perlucens, minimè lapidosum. Probatur in genere sulphuris ignem Sulphur.

experti, quod uiret, ac præpingue ſpectatur. Plurimum in Melo & Lipara gignitur. Dioſc.

Sycomori ſuccus.

SYCOMORI ſuccus primo uere tenera arbore, antequam fructum ferat, eximitur, lapidis ictu ſummo cortice deſquammato. ſi enim altiore plaga uioletur cortex, nihil effluet. Spongia aut uellere lachryma excipitur: quæ ſiccata & in paſtillos coacta fictili uaſe reponitur. Dioſcorides.

T

Tamarindi. Delectus.



AMARINDI Meſuæo præſtantiores ſunt nigri, non tamen exacte lucidi ſiue ſplendentes, teneri, mixti cum uillis, recentes quoque & pingues non aridi, dulcacidi, ſaporis uinoſi. Adulterantur admixtione carnium prunorum, ſed fraus detegitur nigredine non ſplendente in ipſis apparente, humore luxuriante, & prunorum tum odore tum ſapore. Si incaleſcant, aut humectentur, putreſcunt. optime conſeruantur in uaſe uitreo, exacte obturato, & in loco ſicciore. Imbecillam uim habent purgatoriam, proinde eorum decoctum exhiberi poteſt ab uncijs duabus uſque ad quinque.

Adulteratio tamarindorum.

Conſeruatio.

Doſis.

Terebinthina.

TEREBINTHI reſina ex Arabia petræa defertur. Prouenit etiam in Iudæa, Syria, Cypro, Aphrica & Cycladibus inſulis. Sed præualet candida, perlucida, uitreo colore & in cœruleum uergente, odorata, terebinthum olens. Terebinthina reſinas omneis antecedit. proxima lentiſcina, & è pinu, & abiete. has ſequitur è

picea

picea & pineis nucibus resina. Diosc.

Terebinthina quomodo vratur. Ex Aëtio lib. 13. Cap. 99.

TEREBINTHINAM *ustam cyphi recipit. Vritur autem hoc modo: Terebinthinam conijce in ollam, & triplum, aut etiam amplius aquæ infunde, & ad ignẽ adhibe, nihilq́; omnino mouẽdo coque: ubi uero consumpta fuerit aqua, & terebinthina attenuata ac inualida reddita, ut digitis confringi poßit, eam tolle atque in antidoti confectionem assume. Si uero insumpta aqua, adhuc mollior appareat terebinthina, aliam aquam superfunde, rursusq́; ad ignẽ adhibe, donec friabilis reddatur.*

Ex Ampelitide TERRA, *quæ pharmacitis nomine, in Seleucia Syriæ nascitur, laudatur in primis nigra, piceæ longos carbones referens, modicè assulosa, æquabili splendore, quæ detrita, accepto oleo, statim eliquescit. Vitiosa censetur candida, & cinerea, quæ in liquorem non resoluitur.* Diosc. Terra Ampelitis.

CHIA *eligi debet candida, uergens ad cinereum, Samiæ simulis. est autem crustosa, albaq́;, sed fictitijs formis differens. Vis eadem quæ & Samiæ.* Diosc. Terra Chia.

CIMOLIAE *duo genera: candida, & ad purpureum inclinans. Optima existimatur quæ innatam habet pinguitudinem, tactuq́; frigida sentitur.* Diosc. Terra Cimolia.

ERETRIADES *duæ sunt, una uehementer alba est, altera cinericia. Optima habetur ad cinereum colorem uergens, perquàm mollis, quæ si per æramenta tractim ducatur, lineam uiolaceam refert. Lauatur ut cerusa, aut hunc in modum: Teritur seorsum, & cum aqua,* Terra Eretrias.

& ubi pessum ierit, humor leuiter excolatur. siccata so libus, iterũ teritur interdiu, adiecta aqua, ut uespere con sidat. antelucanis colo excernitur, & demum in sole tri ta, si fieri potest, digeritur in pastillos. Quòd si tosta de=sideretur, pastilli magnitudine ciceris in fictile perfora=tum conijciuntur, oreq; uasis diligenter obturato, supra carbones candentes continenter follibus perflantur. ubi uerò cinis in fauillas se conuertit, aut aëreum colorem contraxit, exempti reconduntur. Diosc.

Terra Lemnia. Lemnia TERRA cuniculoso in specu nata è Lem=no insula, palustri loco defertur, inibi electa, & caprino sanguini permista. quam incolæ cogunt in pastillos, & imagine capræ signant. unde & sphragida ægos, hoc est sigillum capræ appellauere. Diosc.

Terra melia. Terrę omnis electio. Ex omni MELIA TERRA & omni alia in uniuer sum, eligi debet, recens, mollis, non lapidosa, friabilis, quæ cùm humorem attigerit, facilè resoluatur. Diosc.

Terra Selinusia. SELINVSIA eadem quæ Chia præstat, maximè laudatur, quæ uehementer resplendet, candida, friabilis, & humore dilui celerrima. Diosc.

Tithymalus Characias. E Characia TITHYMALO appetente uindemia=rum tempore, succus congestis ramulis, mox dissectis, & uase conclusis, excipitur. Aliqui adijciunt farinam erui, & in pastillos digerunt, qui erui magnitudinem impleant. Alij in aridas ficos, ternas quaternásue guttas instillant, ut cum his inarescant, quas ad usus recondunt. Per se etiam tusus in pila, & in pastillos coactus repo=nitur. Porrò cum extrahit lac, neque quo uentus aspi=ret, stare quenquam, neque manus oculis admouere con=

uenit,

uenit, sed antè quàm colligas, corpus, præsertim faciem, collũ, scrotumq́; genitalis, adipe, aut oleo cũ uino perungere. Fauces autem exasperat. quapropter cataspotia cera aut decocto melle, oblini par est, & hoc modo dari. binas tamen ternásue ficos, purgationis gratia sumpsisse, satis est. Characiæ tithymali legitur semẽ autumno, & siccatũ sole leuiter tunditur, feruefactumq́; loco mundo reponitur. Folia item siccantur. Diosc.

TITHYMALI fœminæ succus ut maris colligitur.

TITHYMALVS paralius similiter, & simules ad usus, ut mas, reconditur. Tithymalus Paralius.

TITHYMALI helioscopij colligitur succus, semẽq́; ut aliorum. Tithymalus Helioscopi⁹.

TITHYMALIS cyparißiæ & dendroidi, eadem uis quæ reliquis, similiterq́; reconduntur. Diosc. Tithymalus Cyparissius.

THAPSIAE lactis extrahendi ratio hæc est: Facto in ambitũ scrobe, cortices inciduntur: aut radix in fornicis speciem in se excauata, cooperitur, quò merus succus confluat. oportet illuc sequenti die se conferre, & congestum succum extrahere. Tunditur etiam radix in pila, & succus organo per quallum expressus, fictili crasso insolatur. Aliqui folium unà terunt. sed inualidior huiuscemodi succus. Hoc autem interest. quoniam qui ab radice manauit, grauius olet, & humidus permanet: è folijs autem extractus, exiccatur, atq; teredinum iniuriam sentit. Qui succum colligit, stare debet non obuersus uento: aut potius, cum dies apricus est, & à flatu silet. quoniam ob halitus acrimoniam facies uehementer intumescit, nudaq́; corpora inuadunt pustulæ. ob id prius liquido Thapsia.

quido

quido cerato & adstringente, nudas partes illinunt, & ita muniti accedunt. Diosc.

Thus. THVS in ea gignitur Arabia, quæ thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere masculum, stagonias appellatum, suapte natura rotundum. tale autem indiuiduum est, candidum, cùm frangitur, intus pingue, in suffitu statim ardens. Indicum uerò fuluescit, & colore liuet. sed rotundum industria factitant. nam in quadrangulares formas dissectum fictilibus uersant, donec rotunditatem contrahat. uerùm huiusmodi thus tempore flauescit, quod atomum aut syagrum appellant. Secundum locum habet Arabicum, & in Smilo nascens, quod aliqui copiscum uocant, minus multo & fuluius. Est & genus aliud, cui amomitæ cognomen est, alioqui candidum: quod dum mollitur, mastiches more digitis cedit. Adulteratur in itinere, pini resina & gummi. quod facile deprehendi potest. siquidem suffitum gummi flammam non eiaculatur, & resina in fumum euanescit. thus uerò statim ardet. idem maleficium odor prodit. Diosc. In fictili mudo thus crematur, flagrante glebula succensum à lucerna, donec exuratur. post perfectam ustionem operire oportet, usque dum restinguatur. sic enim in cineres non redigitur. Aliqui ollulam æneo uase cauo circa medium perforato cingunt ad excipiendam fuliginem, ut in eius mẽtione mox ostendemus. alij crudo fictili luto oblito, & in fornacem indito cremant. Fictili etiam nouo uiuacibus prunis torretur, dum non amplius bullet, aut pinguitudinem uaporémue emittat. facile enim comminuitur, quod perustum non est. Diosc.

Fulig

Fuliginem THVRIS sic facito: Forcipicula lucernis accensas singulatim thuris glebas in nouam fictilem ollam concauam imponito: & æreo uase in medio perforato, detersa diligenter sorde, obtegito. alteram admoueto, ex altera eius parte aut utraque, subiectis quaternûm digitorum altitudine lapillis, quò facilius perspici queat, si urantur. & qua locus capax fuerit, glebulas alias supponito. & antea quàm prorsus prior gleba restinguatur, aliam imponito: donec sufficientem fuliginem uidearis coëgisse. Continuo tamen externæ æramenti partes spongia, aqua frigida madefacta, abstergantur. ita enim temperato æris feruore, fuligo omnis inhærebit. quæ alioqui per leuitatem decidua, thuris cineribus admuscetur. Derasa itaque fuligine, cinis cremati thuris seorsum substrahendus est. idem opus, quoad satisfactũ tibi uidebitur, obeundum. Simili modo è myrrha, resina, styrace, reliquisq; lachrymis, fuligo excipitur, ad eadem conueniens. Diosc. Thuris fuligo.

Præfertur THVRIS cortex crassus, pinguis, odoratus, recẽs, læuis, minime scaber, sine mẽbranis. Adulteratur admisto pini aut nucis eius cortice. sed horum index ignis est. siquidem reliqui cortices suffiti nequaquam incenduntur, sed sine odore fumum eructant. thuris uerò cortex ardet, & cum odoris fragrantia uaporem eiaculatur. thuris modo uritur. & uis eadem quæ thuri, sed ualidior astringentiorq;. Diosc. Thuris cortex.

Manna THVRIS probatur candore, micarum frequentia, & puritate. Vim habet eandem, quam & thus, sed inualidiusculam. Sunt qui cribrata pini resina, ac Thuris mãna

polline,

polline, aut cortice thuris contusi adulterant. sed hæc igne deprehenduntur. Neque enim æquè suffitu aërium uaporem, sed fuliginosum & impurum expuit, & permistum suaueolentiæ halitus uirus habet. Diosc.

Thymelæa. THYMELAEAE *folia, quæ peculiariter cneorum appellantur, per messes colligi debent, & siccata in umbra recondi. Quibus dare libeat: antea tundere, & neruos eximere conuenit. Thymelææ farina uuæ acerbæ succo excipitur, & in pastillos diuiditur.* Hallucinantur, *qui coccon gnidium fructum esse chamelææ existimant, decepti quadam foliorum similitudine.* Diosc.

De Thymelæa iterum, & chamelæa, quæ Arabum est mezereon.

Cnidij granum. *Granum* CNIDIVM *ob nimiam acrimoniam cum deuorandum datur, pane aut adipe sepultum infunditur, alioqui gulã & fauces accendit.* Dosis chamelææ. *Aluum purgat* CHAMELAEA, *pituitam enim bilemq́; detrahit, folijs in duabus partibus absinthij decoctis, succoq́; eo cum melle poto.* Dioscoridi *eosdem humores per aluum exigit, folijs præsertim cum duabus partibus absinthij, hydromelitæ exceptis, & in catapotio deuoratis.* Nota. *Sed catapotia eiusmodi, quotquot fuere deuorata, eadẽ forma qua fuerint ingesta, redduntur.* Omnino *enim in uentre non uincuntur, nec à calido natiuo liquescunt.* Thymelææ modus, siue dosis. Dantur *etiam* Dioscoridi *rami Thymelææ cum suis folijs, & baccis, leui igne decoctis ad deijcienda aquosa corporis recrementa: ad extenuandũ quoq; lienẽ, incremẽti uitio laborantẽ. Sed hæc medicorũ sunt, non pharmacopolarũ.*

Dosis

Dosis MEZEREI in decoctione datur Mesuæ à drachma media, ad drachmam unam: in puluere à duobus ceratijs ad quinque. Paulus dat quatuor drachmas Chamelææ in aqua mulsa coctas, purgareq; dicit ut Elleborus. Cnidia uero grana à uiginti usque ad triginta. — Dosis Mezerei. Granorũ Cnidiorũ dosis.

THYMVS. Decocti dosis est Mesuæ à drachmis quinq; usq; ad decẽ, & pulueris ipsius à drachmis duabus usque ad quatuor. Mediocrem sustinet decoctionem. si diu ac curiose teratur, magis urinas ciet, & minus aluum exinanit. Colligi in flore thymum oportet, & in umbra siccari. — Thymus. Dosis thymi.

TRAGACANTHA præstat pellucens, gracilis, læuis, syncera, & subdulcis. Diosc. — Tragacãtha.

TRAGI herbæ racemorum acini tunduntur à plerisque, & in pastillos digesti asseruantur: quibus utuntur, cum opus est. Diosc. — Tragos.

TRAGORIGANVM optimum est Cilicium, & Cretense, & Smyrneum, & in Chio Cooq; proueniẽs. Dioscorides. — Tragoriganum.

TVRPET. τούρπετον. Si de re tam ambigua, ac tam controuersa semel statuendũ est, quatuor uel fortè quinque res erunt, nomen Turbit suscipientes: Radix uidelicet Tripolij, de qua tractat Serapion sub nomine Turbit, quod & Caricamon uocat. Radix Pityusæ, quam Actuarius Turpeton, & quidam Dioscoridis interpretes Turpet uel Turbet appellarunt. Radix itẽ Alypiæ, quod cãdidum Tourpeton idem Græcus auctor Actuarius cognominat. Radix præterea Tithymali fœminæ Myrthites nuncupatæ, quòd myrthi folium ferat, qua — Turpet. 1 2 3 4

nunc

nunc paßim sub Turbit nomenclatura utuntur medici, & eorum seplasiarij. Et quintum demum, (nisi penitus somnium est,) quòd radix est arboris, quam folio ferulæ constare dixit Mesue. Cæterum tametsi Arabes inter se, & cum Græcis in descriptione Turbit dissentiant, omnes tamen easdem ferè uires illi attribuunt, ut ex eorum scriptis licet deprehendere. pariq; mensura ferè ipsum exhibent. Serapion & Mesue contritum bibendum offerunt à drachma una usque ad drachmas duas, in decoctionibus uerò usque ad drachmas quatuor.

Mesuæ somnium.

Dosis Turbit.

Radix Tripolij duabus drachmis in uino potāda datur, Dioscoridi. Pityusæ radix alui deiectionem molitur duobus denarijs in uino etiam pota, Plinio. datur Dioscoridi in aqua mulsa drachmis duabus. Alypion uel Alypia aluum soluit, in aqua mulsa, Plinio, addito sale modico. Minima potio est duarum drachmarum: media quatuor: maxima sex, ea purgatione, quibus datur è gallinaceo iure. Depellitur atra bilis semine, Dioscoridi, si mensura Epithymo pari, cum sale & aceto sumatur. Verùm interanea leniter exulcerat. Datur autē Epithymum ipsi Dioscoridi acetabuli mensura ad quatuor drachmas, cum melle, sale, & aceti exiguo. Purgat autem maximè bilem atram, qua purgata animi tristitia in melancholicis pellitur: à qua ui seu facultate potuit illi nomen fieri. Est enim Græcis Alypon, quod tristitia doloreq; caret aut liberat. Si nostrum Turbit, quo passim hodie utimur, radix sit Tithymali fœminæ, ut putatur, drachmæ pondere iuxta præscriptam à Dioscoride quantitatem siue mensuram, in hydromelite potanda da-

Dosis tripolij

Pityusæ modus.

Dosis Alypię.

Alypia vnde dicta.

da dabitur, ut per inferna trahat.

V



ERATRI albi radices messibus colligendæ. Optimum habetur candidum, friabile, carnosum, modicè extentum, nec tamē iunci modo mucronatum, quod frangendo puluerem emittit, & tenuem habet medullam, gustu non admodum feruens, neque saliuam subinde ciens. huiuscemodi autem strangulat. Primatum Cyrenaicum tenet. Galaticum autem & Cappadocicum, candidiora, & puluere quodam obsita, celerius strangulatus mouēt. Dioscorides. — Veratrū albū

Cæterum, modum unum præparandi ELLEBORVM inuenerunt longè facillimum. Raphanis dissectis inserere iubent Elleborum, rursusq; comprimere raphanos, ut uis pertranseat, atque eo lenimento dare. Hoc autem uomitione magis purgat, præsertim non præparatum. Apparent autem res uisu terribiles in uarijs ipsarū uomitionum coloribus. Sed & subditæ quoque ex eo balani (suppositoria uocant) cum aceto uomitiones concitant, atque eliciunt. Herophilus Elleborum fortissimo duci æquabat: concitatis enim intus omnibus, ipsum in primis exire affirmabat. Ideo & errauisse antiquos, parcius id præbendo, cùm celerius erumperet quod largius daretur. Reddi post quatuor quoque horas incipit, totum opus septenis peragitur horis. Themison bi- — Modus prępa randi Ellebo rum album. — Elleborus al bus vomitio ne purgat. — Herophil9 El leborum for tissimo duci æquabat. — Dosis veratri albi.

nas non amplius drachmas offerebat, sequentes quaternas dedere. Atque hæc de ueratro albo dicta sufficiant.

Radices non uere, ut uoluit Mesue, sed meßibus colligendæ sunt: quæ solæ in usum ueniunt Dioscoridi. Itaque ipsi tenuißimæ radices breuesq; leguntur, sicut & Plinio, ac uelut decurtatæ etiam hæ. Quod & Mesue innuit cum ait, Et melior pars radicis sunt fustes Nam summa quæ est craßißima, cepis similis, canibu tantum datur purgationis causa, Plinio. Veteres radicem corticemq; carnosißimum, ut Barbarus annotauit, eligebant, quo tenuior eximeretur medulla. Hanc humidi spongijs opertam, turgescentemq; in longitudinem fin debant: deinde fila in umbra siccabant, ijs utentes. Nū ramulos à radice sua quàm grauißimi corticis, ita dan tes. Inciditur & nunc Elleborum, & cribratur: corte remanet, hoc summoto medulla cadit.

Veratrum nigrum. VERATRVM nigrum radicibus cohæret nigris, nuibus, à capitulo cepæ simili confibratis. quarum e usus. in collibus, asperis, & sitientibus locis enascitur Optimū est quod ex huiusmodi petitur terris, ut ex An ticyra. Nigrum inibi probatißimum gignitur. Eligi de bet corpulentum & plenum, in quo tenuis sit medull acre gustu, feruensq;. cuiusmodi est in Helicone, Parna so, & Aetolia natum. attamen Heliconium præcelli Emedullantur radices eius ueratri albi modo. Diosc.

Delectus. Elleborum nigrum maximè probatur Dioscorid quod in Anticyra, quæ in Locride siue Phocide sita es prouenit. Eligitur carnosißimum, habitißimumq;, h est maximè corpulentum & plenum, medulla tenui, ac

gust

gustu, feruensq;. Cuiusmodi est (inquit Dioscorides) Helicone, Parnaso, & Aetolia natum. Quanquam bonitas prima Heliconio tribuitur. Hoc perinde atque album emedullatur.

VIOLAE succus, & syropus ex ea confectus, eodem, quo & flores & folia, modo aluum leniunt. Ea assumi debet quæ prima se ostendit, cuius uirtus, nec à calore resoluta est, nec à pluuia diluta, dißipatáue. Potio decocti uiolarum est Mesuæ, ab uncijs quatuor usque ad octo. Succi uerò ab uncia una usque ad duas, & syropi ab duabus uncijs usque ad quatuor. Condiuntur etiam uiolæ cum saccharo & melle: ex ea autem conditura dari potest ab uncia una usque ad tres uncias. Mixta autem saccharo minus, melli uero magis abstersoria est. Proinde & minori quantitate assumenda. — Violæ succ⁹. — Electio. — Dosis.

VIPERINAE carnes, esui sic præparantur: Detracta cute, caput caudáq;, quoniam carne uacant, amputari debent. quippe commentitium est quod præcipitur, certam utrinque mensuram præcidi oportere. reliquum uerò corpus exemptis interaneis elotum dissectumq; dis coquitur cum oleo, uino, salis exiguo, & anetho. Sal ex eis ad eadem conficitur, sed inefficacior est. uiua autem uipera in fictile nouum demittitur. adijciuntur salis caricarumq; tritarum, singulatim quinque sextarij, mellis cyathi sex. mox fictilis operculum luto oblinitur, & fornacibus inassatur, donec sal in carbones redigatur. qui postea tritus in pulueris faciem, reconditur. Plerunque, ut ori gratior fiat, immiscetur nardi spica, aut folium, aut malabathri momentum. Diosc. — Vipera.

Viſcum. VISCVM *optimum eſt recens, intus porraceum, extrà fuluum quod aſperi nihil, aut furfuroſi conceperit. Fit acinis in robore naſcentibus, buxeo fruticis folio. contuſum acinum lauant, & poſtea in aqua decoquunt. ſunt qui commanducando ipſum efficiant. gignitur quoque in mâlo, pyro, & pleriſque alijs arboribus. quinetiam inuenitur in quorundam fruticum radicibus.* Dioſcorides.

Vnguis odoratus. VNGVIS *odoratus laudatiſſimus, qui à rubro mari deſertur, candicans, pinguis.* Babylonicus *nigreſcit, atque minor conſpicitur.* Dioſc.

APPARATVS SIMPLICIVM
MEDICAMENTORVM
FINIS.

De compositione medicaminum generalium,

EX PAVLO AEGINETA.

De Pastillis.



PASTILLI Græcè trochisci à figura nominantur. Tres sunt eorum species. alij nanque sunt potabiles, alij in aluum dantur, alij delinuntur. Ex his igitur qui potantur, alij comprimunt aluum, aut sanguinem, aut aliam quampiam fluxionem, refrigerando, aut astringendo, aut opplendo, aut desiccando eam cohibentes: quemadmodum qui constat spina Aegyptia, & qui seminibus, consimilesq́; : Alij dolorem sopiunt, uel quòd sensum obstupefaciant, uti crocodes dictus, uel quòd humores diffundant, ueluti ex aromatis confecti: alij lienem, aut renes, aut iecur obstructione liberant, ut qui ex amaris amygdalis conficitur. Eorum uerò qui in aluum induntur, nonnulli acrimoniam obtundunt. ut in torminibus intestinorum, quemadmodũ ex pompholyge, amylo, terra samia, ex cremore ptisanæ aut eiusmodi aliquo præparati. nonnulli alui aut sanguinis profluuiũ astringunt, sicuti qui alumine, acacia, & omphacio constant, qualis est Philippi, quiq́; ex spina cõstituitur Aegyptia,

cum rosarum aut plataginis infusi succo: nonnulli adurentes, dysenteriæ, quam ulcera depascentia exercent, idonei: ex sandaracha, auripigmento, calce, charta combusta, cõfecti. Inserentur autem cum succo lenticulæ aut oryzæ, sic ut intestinum prius muria elotum sit, ægerq́; cibum & potũ antea assumpserit, ne aliquid medicamenti uirtutis reliquum, ad stomachum rapiatur. Cæterum utiles sunt pastilli qui ab inferioribus partibus inijciuntur, ad affectus potißimũ, qui infra umbilicum infestant. Nam superius uis ipsorum peruenire non potest. At qui deliniuntur simileis illis uireis obtinent, uerùm astringentes, in herpete, papulis, quæ dicuntur exanthemata, intertriginibus, sanguinis eruptionibus, & fluidis ulceribus proficiũt: cuiusmodi est Andronius & Polyidæ. qui uerò obtundunt, carbunculis & maleficis ulceribus expediunt: utpote leucus dictus, & dialotarion. urẽtes, sicut iam comprehensi, cuius generis habẽtur & Faustiani, serpentibus naturalium & sedis ulceribus, pterygys, & carnosis narium uitijs accommodantur.

De medicamentis quibus aridis utimur, xeria dicuntur, & Smegmatis.

ARidorum medicamentorum, quæ sanè & catapasmata ab inspergendo uocantur, alia ulceribus congruunt, alia cuti applicantur: ex his quæ ulceribus faciunt, quædam cauis carnem inducunt, quædam excrescentia reprimunt, quædam cicatricem generant, quædã urunt exeduntq́;, nonnulla sanguinem coërcent. Quæ igitur carni generandæ sunt, uel repurgando sordida, carnem

carnem creant, ut quæ constant ex eruo, aristolochia, iride, panace, myrrha, thure, aloë, uel humiditatem superfluam desiccando, ueluti quæ fiunt ex ære, diphryge, squama, charta cõbusta, piceæ cortice, & spina, quæ & ipsa cicatricem obducunt: uel acrimoniã rosionemq; obtundendo, qualia sunt ex pompholyge, amylo, cerusa, speculario, ostreis crematis, terra samia, & consimilibus, & quæ compositorum ex his uireis habẽt. Ex reprimentibus lenia quidem sunt, quæ constant squama æris, quæ misy, chalcitide combustis, & galla: ualentiora uerò sunt, quæ atramẽto sutorio, ærugine, nusy, chalcitide, ignem non expertis. Vrentia uerò exedentiaq; fiunt ex calce, auripigmento, sandaracha, & fæce uini combusta, quam uocant spheclen, hoc est fæculam: atque hæc omnia componuntur. cæterum in tenuissimum redacta pollinem, si ulceribus inspergantur minus rodunt: si spissiora, magis. Sanguinem reprimentia aut astringendo, aut refrigerando, aut siccando, aut opplendo, aut urendo faciendoq; crustam, illum coërcent, quorum materiam capite de Pastillis sumus exequuti. At eorũ quæ cuti admouentur, alia abstergunt, exteruntq;, ut ex cimolia, pumice, lomento, fermento hordei, peponum carne, & salis flore confecta: alia extenuant & discutiunt, qualia fiunt ex ueratro, alcyonio, sulfure, herba pediculari, sinapi, pyrethro, cachry, terra lemnia, sepiæ testa: atque hæc, assumpta calce & auripigmento cum liquore aliquo, pilis abolendis idonea & smegmata fiunt. Quædam capiti admouentur, ut fluxum ex eo ruentem desiccent, cuiusmodi sunt ex nitro, sale, galla, malicorio,

& id genus alijs præparata. omnia uero ſmegmata cuti non inunctæ accommodari debent.

De medicamentis liquidis quæ illinuntur, ad oris uitia, unde ſtomatica dicuntur, ac guttur accommodatis.

QVanto rarior molliorq́; eſt cutis, quæ corpus totum obtegit, quàm oris tunica, tanto etiam magis ſtomaticorum medicaminum uſus euariat. Quum igitur inflammatio incipit, ea requiruntur medicamenta, quæ humoris influxum repellant, cuiuſmodi ſunt, arida quidem, omphacium, galla omphacitis, ſuccus rhu, & hypociſthidis, alumen, cortex piceæ & thuris, balauſtia, & generatim omnia quæ aſtringunt, ita ut inſuauem ingratamq́; & lethalem uim non repræſentēt. liquida uerò, ſuccus mororum, tum quæ batina, tum quæ ſycamina dicuntur, item nucum uiridium corticis, & mali punici, præſertim acidi, & malorum cotoneorum, muſtum, aminæumq́;. mel autem per initia ſolum ut medicamenta adhæreant temperatur. At quum humor ſubſtiterit, miſceri debent quæ concoquant & mediocriter diſsipent, cuius generis eſt crocus, myrrha, & dulcis radiculæ ſuccus. Ac per totum id temporis quod inter principium & declinationem intercedit, rectè miſcetur utrunque & repellens & diſcutiens: & primum quidem ſuperabunt repellentia, deinde digerentia: in morbi declinatione ſolis uti digerentibus abſq; aſtrictione oportet, qualia ſunt nitrum, aphronitrum, origanum, hyſſopum, thymus, nepita,

nepita, iris, besasa, consimiliaq;. liquor autem tunc sapa esto, tum quæ ex musto decocto, tum quæ ex caricis & palmulis conficitur, ipsumq; dulce mustum cum melle: ubi uero ueluti reliquiæ quædam inflammationis remanserint, etiam sulfur ignem non expertum miscebimus: succos autem primum cum melle incoquemus, dum liquidioris mellis spißitudo fiat, inde sic arida in tenuißimum pollinem pertrita inspergemus, postea modicè coquemus, quoad omnia exactè in unitatem cogantur, quo facto in uitreum uas medicamentum transfundemus.

De collyrijs & agglutinamentis.

VAria ocularium medicamentorum materies existit, etenim liquores, succi, semina, fructus, particulæ stirpium, & metallica his inseruntur: ex quibus alia acrimoniam leniunt & ueluti opplent obstruuntq;, utpote pompholyx, spodium, amylum, plumbum, terra samia, cadmia, eaq; omnia lota, & candidus oui liquor. Quibus ita utendum est, ut caput prius uacuationem experiatur: Nam si repletum fuerit, metus est ne oculorum tunicæ humoribus distentæ perrumpantur. Alia contrariam his naturam obtinent, nempe acrem, recludendis uacuandisq; ijs quæ diu impacta fuerunt accommodata, quemadmodum liquores Cyrenaicus, Medicus, sagapenum, euphorbium & consimilia. Nonnulla sordidis ulceribus abstergendis conueniunt, qualis est squama æris, ipsumq; æs, chalcitis, misy, sori, flos æris, stimmi, concremata omnia. Quædam his uicina sunt, smectica ab exterendis sordibus appellata, cuiusmodi est auri-

pigmentum, ſandaracha, & lapidis aſij flos. Sunt & aſtringentia, atq; ex his quæ mediocriter id faciunt uehementer lippitudini, ulceribus, & defluctionibus conducunt, nempe roſarum folia, & flores, & fructus, ſpica nardi, phyllum, crocus, glaucium & hypociſthis.

Quæ uehementiorem aſtringendi uim repræſentant, oculorum claritati conducentibus potiſsimùm medicinis miſcentur, cuius generis eſt omphacium, acacia, balauſtium, ſatiuæ punicæ flos, & galla. Alia concoquunt, diſcutiuntq;, ut myrrha, crocus, caſtoriũ, lachryma thuris, fœnugræci ſuccus. Porrò ex cõpoſitis oculorum remedijs, alia delinuntur, ſimplicemq; appellationem habent, alia xerocollyria, alia hygrocollyria uocantur.

Quæ igitur delinuntur omnem comprehenſam materiã recipiunt, omnibusq; conferunt affectibus: cæterum uere præſertim præparari debent, æſtate ſiquidẽ uirtus ipſorum perſpirat euaneſcitq;, hyeme ſpecies gelu rigidæ temperari nequeunt. Conterere autem ea oportet liquore non copioſe affuſo, ne metallica ſubſidant, aromata ſupernatent, uerùm modicè, ut ſordium modo conterãtur. Aqua uerò pluuialis erit, tum quòd tenuis ſit, tum quòd modicè aſtringat. Sin uino aut ſucco aliquo læuigentur, teranturq; eadem, metallica ſanè longo tempore, quæ autem ſucco conſtant, exiguo læuigabuntur. demum ubi ſatis læuia euaſerint, gummi adijcietur, in formamq; redacta, uaſis maximè æreis aut uitreis reponentur. Cæterum ijs quæ è ſucco conficiuntur, protinus uti licet: metallica uetuſtate redduntur meliora. Porrò inter collyria arida quædam conſumunt exteruntq; cal-

los

los, ficos, ungueis, scabiosaq́; uitia, è chalcitide, ærugine & misy composita. Quædam lachrymas mouent, obstructionibus & hebetudini accommodata. quæ tum ex his tum ex pipere & spica nardi fiũt. Sunt quæ præseruent tueanturq́; oculos ab humorum influxu, cuiusmodi ex lapide phrygio, sarcocolla, glaucio, aloë, cadmia, stimmi, croco: omnia in tenuißimum pollinem coacta oculis applicantur. At liquida collyria fiunt ex melle Attico, opobalsamo, oleo ob uetustatem tenui, fœniculi succo, diuersorum animalium felle, liquore cyrenaico, alijsq́; compluribus. Conferunt hebetudini, suffusioniq́; incipienti, cum extenuent, calefaciãt, purgentq́;. Vtendũ his est, & omnibus acribus, ubi caput repletione caret, sub dio, aëre puro, aquilonio, non nimis frigido, neque item calido nimium. At agglutinamẽta quæ anacollemata Græcè dicuntur, ex medicamẽtis præparãtur quæ obstruunt, opplentq́;, glutinant, compingũt, aut refrigerant, aut astringunt, siccántue, qualis est farinæ pollen, mãna, terra samia, myrrha, cochleæ, acacia, opium, cum candido oui liquore. glutinantur autem fronti in quibus humor nõ intra caluariã delitescit, sed extrinsecus fluit.

De Emplastris, & medicamentorum quæ ipsis immittuntur coctione, tum qui ceræ modus cum oleo esse debeat, ex commentariis Antylli.

MEdicamentorũ quæ Emplastra ingrediuntur, alia sunt terrestria, utpote metallica, lapidumq́; & terræ

terræ ſpecies, fæces, cinis, & conchylia. alia ſunt oleamenta, alia lachrymæ, alia liquari poſſunt: quædã liquores, quædam ſucci ſunt, ſemina uerò, herbas, & radices pauca recipiunt. Cæterum ex ipſis emplaſtris nonnulla ſunt uulneraria, quæ enæma, quòd cruẽtis inijciantur: colletica, quòd glutinent: & catagmatica, quòd fracturis accomodentur, appellamus. Conſtare autem ex ſiccantibus non ſummè, uerùm ſecundi ordinis abſoluti, & tertij incipientis, oportet, cuiuſmodi ſunt ſalix, quercus, cupreſſus, piceæ & tedæ cortices, myrrha, thuris lachryma, bitumen, aloë, ariſtolochia, cinis ſarmentaceus, cerusſa, ſpuma argenti & pleraq; ex metallicis. Coqui debẽt quouſq; manus amplius non inquinẽt. Porrò quæ cicatricem ducunt emplaſtra & ipſa ex ſiccantibus cõponũtur, uerùm efficacioribus quam glutinatoria, quod genus eſt æs combuſtum, ſquama tum eius, tum ferri, ærugo, chalcitis, æris flos combuſtus, alumen, galla, plumbago, cadmia, pumex, & oſtracea. Digerentia uerò & calefacientibus & ſiccantibus modicè fiunt, nempe ariſtolochia, thapſia, oleo ueteri, & raphanino, melle, opobalſamo, pice, reſina terebinthina, galbano, ſale combuſto, ſalis flore. Quæ emolliunt, ex argenti ſpuma, adipibus, medullis, oleo ueteri, propoli, ammoniaco, ſtyrace, galbano, bdellio, maſtiche, reſina terebinthina, uel radice althææ & cucumeris ſylueſtris, præparantur.

Siccãtia, ex ſulphure, nitro, ſale, cinere, & bitumine.

Ad extrahendum accommodata, fiunt ex ſale, nitro, propoli, ærugine, fermento, ſtercore, ſulphure, terebinthina. Quæ concoquunt, ex cera, ladano, uua paſſa,

amomo, croco, thure, pice, mastiche Aegyptia, styrace, myrrha, galbano, butyro, hyssopo, adipe, ærugine.

Pus mouētia, ex hydrelæo, pollme, pane triticeo, chōdro, butyro, adipe suillo & uitulino, thure, pice, resina.

Quæ uerò leniunt dolores, argenti spuma cōstant, cerusa, oleo, anetho, chamæmelo, amylo, cera tracta. Iā uerò enæma dicta, recentibus adhuc uulneribus & fracturis inijci debent, adiuuariq́; è summa spleniorum parte spongijs posca madentibus simul illigatis, solui tertio quoque die, & rursus eadem splenia non alia accommodari oportet. At quæ emolliunt, extrahūt, digerunt, concoquunt, & pus præterea mouent, post cataplasmatum ceratorumq́; usum adhibentur. Quæ leniunt etiam, per initia statim, summis potißimum partibus applicantur. Cæterum quomodo coquantur, deinceps exequemur.

Quomodo medicamenta quæ Emplastra ingrediuntur coqui debeant.

AERVGO.

AERVGO uiridibus emplastris post coctionem inijcitur. In aliquibus autem neutiquam ollæ inditur, sed cum aceto detritæ ipsi, manentiq́; in pila reliqua superfunduntur. In melinis emplastris, cùm semicocta est confectio immittitur: nam moderatam consecuta coctionem, melinum colorem efficit. At in his, quæ diprosopa & dichroma dicuntur, per initia statim æruginem incoquimus.

Alumen

ALVMEN.

Alumen plerunque post coctionem additur, peculiarem uero coctionis modum nullum habet.

MINIVM, CADMIA & POMPHOLYX.

Minium in fine admiſcetur, Cadmia & Pompholyx per initia immittuntur.

ALOE.

Aloë post coctionem inſpergitur.

AVRIPIGMENTVM & SANDARACHA.

Auripigmentum, & ſandaracha in coctionis fine inijciuntur.

AES *crematum.*

Aes crematum non protinus ab initio ad coquendum inijcitur, ſed ubi emplaſtrum ſemicoctum fuerit. finis coquendi eſt, quum color ipſius, niſi admodum exiguum indatur, ſuperat, & emplaſtrum ruſum efficit.

ARGENTI *ſpuma.*

In medicaminum coctionibus argenti ſpuma cũ oleo decoquetur. conuenit autem læuigatam rurſus ex oleo conterere, ut ſordium fiat ſpißitudo. inde leni igne excoquere continenter mouendo. Initio igitur intumeſcit, & in bullas attollitur: ubi uero iam ferè ſatis incocta fuerit, colorem fæci ſimiliorem recipit. Modus coctionis eſt, quum à tumore ſubſidit, & manus non inquinat.

ATRAMENTVM *Sutorium.*

Atramentum ſutorium in media coctione emplaſtro inditur, coctum uero uehementiorem eius colorem efficit, & ſi alia ei non reſiſtant, nigrum.

APO-

APOCHYMA, *pix nauibus derasa.*

Apochyma læuigatum cribroq́; ab excremẽtis suis secretum emplastro, postea quàm coctum fuerit, inspergitur. Si autem molle fuerit, cum oleo miscetur. sed prima ratio coquendi exactior est, quòd scilicet in secunda pondus non conseruetur.

AERIS FLOS.

Aeris flos similiter æri coquitur, sed eo modo qui communis esse coctioni solet.

AMMONIACVM.

Ammoniacum circiter mediam coctionem inijcitur: detritum uerò, si potest fieri, & in tenuem redactum puluerem inspergere conuenit: sin minus, cum liquore quodam læuigatum inijcere: si emplastrum cruentis uulneribus adaptabitur, cum aceto, aut uino: si fistulis aut strumis, omnino cum aceto: aut si molle futurũ est, qualia sunt quæ ano accommodantur, cum aqua: inde in sordium spißitudinem coactum alijs refrigeratis infundere, ne efferuescant.

BDELLIVM.

B DELLIVM *in læuorem pertritum, emplastro ab igne iam sublato inspergitur: at si pingue existat, & læuigari non poßit, sagapeno similiter ipsum cõtusum, ac in emplastri figuram coactum, post coctionem simul cum emplastro molliemus.*

BITVMEN.

Bitumen inter initia iniectum coquitur, non autem id in læuorem deterere oportet, quoniam asperitudines fici granis interioribus simuleis obtinet. Quapropter in crassiores

siores particulas confringendum est, coquendumq; in aceto, sic ut non agitetur usq; dum ebullire desinat: Ego uero (inquit Timocrates) in oleo decoquens, uoti compos euasi.

CHALCITIS.

Chalcitis incoquitur æris modo, coctionemq; ipsius metimur inde, si emplastrum fuluum magis & phœniceum euaserit.

CERVSA.

Cerusa in alba emplastra postremò mittitur, sic enim colorem conseruat, magisq; albescit: in nigra autem, principio: coacta enim largius, nigrescit.

CERA.

Cera priuatim sola non coquitur, ut quæ aduratur, neq; cum resina liquida, aut pice liquida, non enim coit spissaturq;, uerùm superinijcitur, uel oleo puro, uel oleoso cuipiam liquori cum quodam metallico incocto, aut resinæ, aut pici prius incoctæ.

GALBANVM.

Galbanum neutiquam coctionem tolerat, uerùm emplastro ab igne sublato, ut digitos non inquinet, emollitum inditur.

LACHRYMA papaueris.

Lachryma papaueris pridie in aqua modica maceratur, inde in pila læuigatur, mox etiam emplastrum ei superfunditur.

LACHRYMA Thuris, & manna.

Lachryma thuris & manna, coctione iam absoluta insperguntur, in sordium spißitudinē coacta ex melle modico,

dico, aut aceto, aut aqua, aut uino, si emplastrum liquorem recipiat.

MISY.

Misy postremò adijcitur: quamdiu autem coqui debeat, proprie definitum non est.

MYRRHA.

Myrrha, ubi iam coctio finita est, inditur.

OLEVM, & reliqua pinguia.

Oleum siquidem per initia fuerit iniectum, resinæ aut pici liquidæ, emplastrum non spissescit, quare ubi crassa euaserint incocta, rectè indetur, reliqua uerò pinguia insulsa, iuxta mediam coctionem adiungere conuenit.

OPOPANAX.

Opopanax multò post ammoniacum inditur: omnino autem paucam coctionem requirit. Idem etiam ex uino acetóue prius læuigandus est.

PIX.

Pix ante reliqua omnia additur. Modus autem coctionis, liquidæ, dum inspissatur: aridæ, maximè dum non amplius inter coquendum ebullit, neque inturgescit.

PLVMBAGO.

Plumbago similiter argenti spumæ excoquitur, sed eousq;, dum non modo digitos non inquinet, uerumetiam ex igneo colore in rufum, & uehementer floridum elanguescat.

PLVMBVM ustum.

Plumbum ustum in media coctione adiungitur.

PROPOLIS.

Propolin emollire & discoquere oportet: siquidem à co-ctione neutiquam diffunditur. At si & ceram emplastrũ recipiat, propolin cum illa quemadmodum & galbanũ; contusam inijciemus.

RESINA.

RESINA arida, cum cera immittitur: liquida ante omnia alia ipsa priuatim decoquitur, nisi admodum paululum eius assumatur.

SAL, NITRVM, SVLFVR.

SAL & nitrum in medio coctionis: sulfur, in fine adij-citur, coctio autem ipsius emplastra nigrefacit.

SAGAPENVM.

Sagapenum tunditur in pila, & teneriusculum redditũ cum emplastro ubi ab igne sublatum fuerit, emollitur.

SEMINA, RADICES, & HERBAE.

Semina, radices, & herbæ, nullam coctionem sustinent: læuigatis igitur, & in pila etiamnum subsistẽtibus liqui-da superfunduntur,

SORI & DIPHRYGES.

Sori & diphryges demittuntur in media coctione lebeti: diphryges autem, sicut & squama, eousq; coquitur dum colore reliqua uincat. Sori peculiarem coctionis finem non habet, sed is omnibus communis est, ut emplastrum spissum reddatur, digitosq́; non inquinet.

TERRA & lapides, pumex, conchylia.

TERRAM omnem & lapides plerunq; ad coctio-nis finem inijcimus. item pumicem, & conchylia combusta.

Thapsia

THAPSIA.

Thapsia inspergitur postrema, uel liquore quodam læuigatur.

VNGVENTA.

VNGVENTVM irinum coctionem quidem fert, sed cyprinum & rosaceum, minus: reliqua neutiquã. quare ad finem coctionis, immittenda sunt.

De malagmatis, & epithematis.

INter ea quæ malagmata dicuntur, alia medijs corporis partibus inijciuntur, longa inflammatione conflictantibus, aut induratis, aut æstu flagrantibus, aut per frictionem, fluxionémue expertis: alia articulis quibus humores sint impacti, uel neruis refrigeratis, uel etiam alijs particulis scirro obsessis congruunt. De his igitur tum in capite de emplastris tractatum est, tum ubi ad acopa uentũ erit differetur. Porrò inter malagmata medijs corporis regionibus accõmodata (epithemata propriè nuncupantur) quæ quidem stomacho & iocineri admouentur, qualiacunq; illa fuerint, roborantẽ ex astringentibus uim postulant. Sine his etenim uitæ aliquod discrimẽ intulerint. cum illa nempe stomachus & iecur communes aliarũ partiũ alimẽti sint officinæ. Quamobrẽ eiusmodi medicamẽta ex aromatis potissimũ conficiuntur. Stomacho igitur inijci debent, si non cõcoquit, aut infirmatur, aut inflatione laborat, malagmata ex seminibus, meliloto, aloë, absinthio, sampsucho, nardo & mastiche. Iecori autẽ ex myrobalano cõfectã, ammoniaco, adipibus, & chamæmelino. At lieni applicantur, quæ cõstant calce uiua, auripigmento, cappari, salicibus, cardamomo, ærugine,

ammoniaco, & aceto: ijs autem qui alui fluore laborant, ex œnãthe, alumine, melino, & alijs astringẽtibus præparata. etenim hæc etiam per abusionem communiter malagmata nominãt, & si diuersam à molliendo uim repræsentent. Si uerò ardor uiscera urgeat, ut in febribus ardentibus, ex croco competunt malagmata, rosaceo, succo lini seminis, aut intybi, aut polygoni, adipe suillo, & spuma argenti: si perfrixerunt, ea quæ opobalsamum, phyllum, casamum, & piper recipiunt. Pectori cum sanguis eijcitur, prosunt astringentia, siccantiaq; ex alumine, salice, & bitumine. In tabe quæ phthisis dicitur, cõducunt ex baccis lauri, marrubio, cardamomo, & lixiuio confecta.

Qui ceræ modus cum oleo esse debeat.

QVOD si unguina, ut quæ Græci à leuanda laßitudine acopa appellant) cõficere constitueris, oleum ceræ quadruplum immittes: at si liquidum ceratum, ut in fracturis præparamus, duplicatum. Si medicamentum quod emplastri figuram habeat efficere cogitauerimus, portionẽ olei ceræ æqualem miscebimus, si aër ambiens moderatus extiterit: at si cera uetus aut squallida, aër frigidus fuerit, oleũ paulò copiosius quàm cera erit: quemadmodum & si cera pinguis, aër existat calidus, paulò minor olei portio erit. paulum autem hoc, medij in utrãlibet partẽ excessus duodecima erit portio, etenim aliâs undecim aliâs tredecim olei uncias, ceræ libræ admiscebis.

De acopis, inunctionibus, dropacibus, & sinapismis.

ACOPA inde nomen sortiuntur, quòd præcipuè ad laßitudinis quæ copos Græcè dicitur, puta tensiuæ, ulcerosæ, & eius quæ ossa defatigat, sensum conueniant, quanquam alijs quoque morbis compluribus sint ex usu. Alia siquidem ipsorum calefaciendi uim habent, alia emolliendi, alia ulcerandi. Quæ calefaciunt, pipere, pyrethro, cachry, & consimilibus constant: neruorum uitijs, perfrictionibus ualidis & quæ uix ullo calore possunt euinci, accommodata. Quæ emolliunt, ad durities, scirros, & infarctos articulorum sinus conueniunt, quorum materies capite de emplastris comprehensa est. At ulcerantibus quæ adarce, cachry, euphorbio, cocco gnidio, & id genus alijs componuntur, in diuturnis affectibus, & qui ægrè possunt elidi, quibus etiam sinapismus congruit, utimur. Porrò spißitudinem uniuersa acopa inter cerata & emplastra mediam habere conuenit. Vnguina uero acopis similia, liquidiorem ferè substantiam obtinent. At dropax duplicem recipit præparationem: hanc emplastro, illam malagmati consimilem, nonnulli & calidum ipsum illinũt, materiam uerò acopis & emplastris cõfinem. Cæterum usum cataplasmatis exhibet, diuturnis affectibus iisdem quibus & sinapismus, utilis, ideoq; ante illum assumitur, quo corpus ad sinapi reddatur idoneum: à sinapismo etiã adhibetur, ut affectus reliquias discutiat. Sinapismus materiam quidem uariam non habet, uerùm

diuturnis potißimum affectibus post inutilem aliorum præsidiorum uim efficacißimus est: utilißimè autem applicatur capiti in eius dolore quem cephalæam dicunt, & quum altera duntaxat ipsius pars affligitur (Græci heterocraniam uocant) in morbo comitiali, uertiginibus, & insania: pectori autem in suspirio, orthopnœa, hoc est quum non nisi recta ceruice spiritus trahitur, & tußi longa. At in diuturna humorum è capite in fauceis destillatione, & caput & thorax sinapi oblini debēt. Item stomachus & uenter in longis ipsorum morbis eodem obducuntur. Iam conueniens est præsidium sinapi coxendicum & podagricis doloribus, omniq; parti resolutæ, aut alio quodam modo perfrictionem expertæ, ut difficulter excalfieri poßit. Ac tunc profecisse satis id putato, ubi dolor subsecutus fuerit ualidus, & caro liuidior altiorq; euaserit, & postquam ablotū fuerit mitius pustulæ erupuerint. Quòd si etiam sensus perierit, animum adhibere negotio conuenit, parte quam obleueris sæpius detecta: nam si uel immodicè adurantur ita affecti non persentiscunt. Præterea in acutis morbis, utpote lethargo, profunda in somnum delatione, (cataphora dicitur) & catocho, sinapi inducitur, per initia quidem cruribus: ubi uerò materia radices egerit, capiti. Porro qui ita frigori patuerunt ut uix ullo modo queant incalescere, ijs crura & cubitos sinapi oblinuntur. In his autē qui continua febre laborāt, ulcusq; habent, tum in cartilaginosis, tum locis ex carnibus, uitari debet sinapismus, nam partes carnibus uacuæ si obducantur sinapi, uruntur, interim etiam nigrescunt.

Quo-

Quomodo diuersa olei & unguentorum genera conficiantur.

INVNCTIONVM unguẽtorumq́; uel olei generum, quæ unguenta repræsentent, alia sunt simplicia, una olei specie iniecta: alia composita, ex pluribus conflata. Ac simplicium alia ex floribus oleo incoctis efficiũtur, uerbi causa, rosaceum chamæmelinum, susinum. Quædam ex fructibus & seminibus conficiuntur. quædam ex surculis quibusdã, ut rutæ, qui etiam simul cum oleo coquuntur, ideo cum nullus florum coctionem sustineat, insolantur potius. uerùm si ualidam odoris gratiam repræsentent, & constantem, ex insolatu plurium dierum tenuius ipsorum oleum magisq́; utile redditur, quemadmodum rosaceum & chamæmelinum. Qui inualidiores sunt, faciliusq́; difflari possunt, minus insolatum tolerant, ut quorum uirtus promptè euanescat, utpote lilium & uiola. Ex his quæ fructibus & seminibus constant, nonnulla illis integris oleo iniectis conficiuntur, ueluti melinum. nonnulla contusis uel læuigatis, oleamne ipsorum sequestrato, uel expreßis ipsis in prælis: uel ex aqua calida, sic ut ipsa discernãtur, exempli causa, caryinon, sesaminum, amygdalinum, lentiscinum, laurinum, ricininum, raphaninum, atque eius notæ alia. Porrò quæ ex stirpibus odoratis componuntur, præparari potißimum solent, illis oleo incoctis cum uino uel musto uel aqua, atque eisdem deinde exemptis. Liquoribus autem quibusdam oleo contemperatis interim & adipibus uel medullis, ex huiusmodi aliquo exactam olei spißitudinẽ

ſortita, ſimplici ſermone unguenta uel inunctiones nominantur, ut gleucinum, nardinum, ſicyonium & cyprinum. Sunt quæ acopa craßitudine repræſentent, ceram aut reſinam aut eiuſmodi quippiam recipientia, uocanturq; myracopa, ueluti decamyron, amaracinum, atque his ſimilia. Iam uerò aliqua una uice coquũtur, quæ non diuerſam recipiunt materiam, ſicuti metopion, maſtichinum, ſicyonium: aliqua duabus tribúſue & quatuor iniectionibus. Primum contumacioribus incoctis, ut aſpalatho, palmeo ſurculo, thure arbore, lauro: inde aromatis, phyllo, ſpica nardi, amomo, herba ſabina: poſtremo liquoribus, adipibus & medullis. & ſi eueniat, cera quoque & reſinis inditis. At balſami liquor neutiquam coquitur, ſed poſt abſolutam coctionem, unguento mediocriter refrigerato inſtillatur. imò ex ipſis unguentis ſunt quæ nullam coctionem recipiant, ſed tantum miſceantur, quale eſt mendeſium. Nonnulli uerò uiride unguentum reddere cogitantes, ubi ab igne ſuſtulerunt, in olei ſextarium æruginis raſæ in exactum detritæ læuorem ſeſcunciam immiſcent, quemadmodum in cyprino & amaracino. Cæterum ſimplicia quidem unguenta ſpecierum quæ in ipſa mittuntur, naturam, uel eorum ex quibus contuſis facta ſunt, obtinent, ut oleum ueluti materiæ rationem obtineat. At quæ uariam magis compoſitionem ſortita ſunt, tota eorum natura ad calidum inclinata eſt, ſed quædam ualide calefaciunt emolliuntq;, ut etiam articulis recenti cicatrice obductis, & ſinibus eorum infarctis conueniant, ueluti metopium, mendeſium, marciatum: mediocrius autem eſt pentamyron, quemadmodum decamyron

myron ualentius, ut etiam ſuperficiem rodat. Sunt quæ mediocriter calida, tenuiaq; exiſtunt. ea dolores leniunt, & concoquunt, quale eſt ſuſinum, amaracinum, irinum, crocinum, foliatum. Alia præter quàm quòd calefaciũt, abundè ſiccant inciduntq;, ueluti cyprinum & ſicyonium. Alia calefaciunt quidem inſigniter, ſed uires magis confirmant, unde ſtomacho potiſsimum & uiſceribus reſolutis competunt, qualia habentur maſtichinum, nardinum, & gleucinum. Valentius adhuc corroborat, quod ex labruſca conficitur. Iam nonnullis unguentis ob gratum duntaxat odorem mulieres utuntur, ut foliato, ſpicato, commageno, & quæ moſchelæa, quaſi dicas, ex moſcho & oleo confecta nuncupantur.

FINIS.

E primo libro Galeni

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM ΚΑΤΑ ΓΕΝΗ.

Quæ præscire conuenit eum qui Medicamenta probè compositurus sit.



XPOSITVM est alibi, simplicium medicamentorũ uires nõ solum generatim noscendas esse, ut quidam scripserunt, ponentes ea uel calefacere, uel refrigerare, uel siccare, uel humectare: uerùm distinctè, membratímque, & ex quo sint ordine singula, uti nos docuimus. Quandoquidem igitur nonnulla medicamina obscurè prorsus unumquodq; prædictorum efficiunt, quædam manifestò, aliqua ualide, sicut alia absolute, nõ satis est nouisse pharmacum hoc calefaciendi, aut refrigerandi uirtutem habere, sed quantam habeat, definire oportet. Recalefaciunt enim resinæ omnes, idq́; sibi cõmune habent: attamen maioris minorisq́; rationem non exiguam in calore sortitæ sunt. Item succi plures non mediocriter, ratione ad maius minusq́; facta differentes, excalefaciunt. Nam si panacis succum cyrenæo & medico cõmisceas, uidebitur tibi ille nihil ceu ad hos esse. At quorsum attinet sermonẽ ab ijs quibus utimur quotidie, diuertere longius, memores adhuc

adhuc illorum differentiæ? Anethum ſiquidem & ruta, cepaq́;, omnia calida medicamẽta magno inter ſe uariant diſcrimine. Quapropter in curationibus particulæ admodum refrigeratæ, medicamẽ quod impenſe calefaciat admouebimus: illi uerò quod paululum à naturali habitu receßit, modico leuiq́; calore præditum, ſicut inſigniter refrigeratæ uehemẽtißimè calefaciens pharmacum adhibebitur. Meritò igitur quatuor nos excalefacientium ordines ſtatuimus: ſeparantes à modicè calidis ea quæ euidenti eiuſmodi qualitate præcellunt: tum quæ magna & uehemẽti adeò, ut urere uideantur. In ſingulis autem illis quatuor ordinibus diuerſis quædam uelut incipientis, nonnulla deſinentis, & ei quæ poſt hanc exiſtit, propinquæ differentiæ eſſe dicuntur: alia in illorum medio conſiſtunt. Itaque ſunt ex his quæ propter caloris uim exulcerant: quemadmodum etiam ex illis quæ exedentia Latine, σηπτικὰ Græce nominantur: alia ſimulatque corpora contigerint, poteſtatem ſuam oſtendunt. Quædam duabus tribúſue, aut quatuor horis opus habent: nonnulla diem totum, uel etiam poſt eum noctem, uel maius dein ſpatiũ requirunt. Hæc iam ut in calefacientibus, ita quoque in refrigerantibus intelligere eum oportet, qui medicamen aliquod confecturus eſt. Pari modo in ijs quæ humectant exiccantq́;. Cæterum materiæ medicamnũ quædam à plantis, quædam à metallis, nonnulla ab animantibus proueniunt. Quas omnes in commentario de ſimplicibus medicamẽtis definitè expreſſas didiciſtis: nam cum familiaribus hic mihi ſermo potißimum eſt, qui precibus me adegerunt, hæc propter librorum interitum denuò perſcri

perſcribere. Iam uerò ut ſimplicium medicaminum uniuerſorum facultates examußim uobis cognoſcẽdæ ſunt, quò ubiuis corporibus curationẽ deſiderantibus idonea ex ijs quæ adſunt, facile poßitis remedia componere: ita etiam omnium præter naturam affectuum ſpecies ad unguem tenere expedit, quas primum quidem libro de morborum, altero de ſymptomatum differentijs, tertio poſt illos de morborum cauſis comprehẽſas habetis. Ad hæc alijs tribus de ſymptomatum cauſis: uno inſuper de plenitudine, necnon de febrium differentia commentario, poſtremo medendi methodo: in quibus affectiones actionem lædentes didiciſtis. Item curationem harum primam eſſe, quemadmodum etiam præſeruationẽ cauſarum eas parientium. Docti pariter eſtis, primæ curationis conſilium à morbi diſpoſitionibus ſuggeri: cum his unà patientis particulæ naturam indicari. Præterea aëris nos ambientis temperamẽta, conſtitutionem, ætatem, tempus, locum, uitæ propoſitum, & mores, plures egregij medici inſpiciunt: de quibus ubi eorum uſus fuerit, aliqua ſimul & hic nobis dicentur. Hæc itaque in memoria uos omnia ſic exprompta habere expedit, ſi quouis loco medicamentorum, tum ſimplicium, tum compoſitorum copiam habere deſideratis. Inſuper quomodo unum interim aliquod pharmacum ſponte natum, ac ſimplex, morbum curare poßit: cur interim cõpoſita nos uſurpemus, rationem deinceps explicabimus.

Quis compoſitorum medicaminum vſus.

SI tantum ſimplicibus medicamentis uniuerſos præter naturam affectus curare liceret, nullus utique compo

ſiti

ſiti unquam uſus foret. At hoc nunc ita comparatum non eſt: nam dum corpus ſubinde aliquatenus calefacere conamur, ſimplex nullum, quod præſtare id queat, habemus. Medicamentũ enim affectioni cui adhibetur, potentia nimirũ reſpondere oportet. Quòd ſi affectus ſit frigidus, quatuor numeris à naturali habitu recedens, pharmacum totidem gradibus à caloris mediocritate ſeu ſymmetria diuerſum adhibendum quis ignorat? Porrò cum interim tale ſimplex non adſit, ſi duo habeamus, quorum hoc numeris quinq;, illud tribus calidius ſit, temperantes ea, medium efficiemus, quatuor numeris ſymmetron exuperans. Iam quædam ſimplicia citra alterius mixturam ne in uſu quidem eſſe poſſunt: ueluti cum emplaſtrum pharmacon apponere cuipiam uolumus: quippe ſimplex nullum ad talem uſum idoneum eſt, neque bitumen, neque cera, neque reſina, ſicut neque pix, neque propolis ac ladanum: multominus ærugo & ceruſſa, uel ſpuma argenti, uel molybdæna, uel aliud quoddam metallicum medicamen. Simili modo nec herbæ ſolæ emplaſton pharmacum efficiunt. Quare primi emplaſtrorum auctores nõ temerè ex oleo quoq; metallica coquere conati ſunt, quæ liquefieri poßint, liquefacere, ac herbas contuſas ſiccas cribratasq; eis adijcere. Rurſus in alijs affectibus unum medicamentum ſolum ex ijs quæ ſuapte natura proueniunt, uſurpamus. Cui tamen nonnulla adijcimus aliquando uirium ipſius uehementiæ obtundendæ, interim inſuauitatis mitigandæ gratia: quemadmodum Hippocrates in libro de Victus ratione in morbis acutis hiſce uerbis inquit: Si ſub tranſuerſo ſepto dolor ſit, ad

clauic

clauiculam uerò non aſcendat, emolliendus eſt uenter uel nigro ueratro, uel peplio: nigro quidem daucum, uel ſeſeli, uel cuminum, uel aniſum, uel aliud quid odoriferum miſcendo: peplio autem ſilphij ſuccum. Hac ratione manifeſtò Hippocrates uſum quidem pharmaci purgantis eſſe oſtendit, ſed inſuauitatem eius in potu, moramq́; in uentriculo condimentum requirere. Multa ſiquidē quæ bibuntur pharmaca tam ſunt aſſumentibus inſuauia, ut ſtomachū peruertant, uomitumq́; protinus cieant. Quædam licet paululum in uentriculo manere poßint, postea tamen euomantur, prauas eructationes mouentia: quemadmodum ex purgantibus ceu condimēta ſunt eiuſmodi medicamina, quorum Hippocrates meminit: ita ex ijs quæ ἀνώδυνα appellantur Græcis, alia uehementiam mitigant, ut cum papaueris ſuccum, uel hyoſcyami ſemen miſcuerimus, uel mandragoræ radicis corticem. Quare & hic pharmacorum compoſitionis uſus eſt, maximus autem in morbis, qui diuerſas ſimul facultates deſiderāt, expellendi uidelicet & digerendi, uel detergendi ac læuigandi, uel incraſſandi ſimul & attenuandi humores: ueluti multiplicis uſus medicamenta, Græci πολυχρηστὰ uocant, & optima, diuerſas in ſe poteſtates, ut indicabimus, continent. Verùm his medicamēti miſturæ uſus eſt, cum unum aliquot illorum ad multas uenenatas feras, uel exitialia pharmaca efficax habere uolumus: qui uſus etiam theriacam, ut uocant, antidoton comparauit, item mithridation, aliasq́; multas. Sunt porrò & aliæ quidem utilitates minores prædictis, attamen quæ crebrò nos ad remediorum compoſitionem deſcendere cogunt:

uniuerſas

uniuersas hoc in opere docebimini. Nunc enim post emplasti medicaminis, & πολυχρηστάτου, id est ad plura utilißimi à me confecti rationem fusius expositam institutum aggrediar.

De emplasto pharmaco. διὰ χαλκίτεως.

QVa ratione seu industria composuerim emplastrũ διὰ χαλκίτεως, quod à palma Græce φοινικίνον appello, medicamen glutinandis ulceribus, cicatrice obducendis, & plegmonis curandis accommodum (quando liquefactum humidi cerati craßitudinẽ obtinet) uos quoque animum exercete, Empiricis ac Thessali sectatoribus cum inscitia ipsorum relictis, qui optima pharmaca à medicis inuenta diuersis constare facultatibus ignorãt. Exercete inquam ingenium, ut eisdem mecum usi methodis medicamenta poßitis conficere: persuasi re ipsa maiores nostros ex ratione omnia illa composuisse: incidentiam uerò Empiricorum, Græci uocant περίπτωσιν, esse nugatoriam. Dicenda itaq; nunc est propositi medicamenti compositionis ratio. Oleum uetus, & adeps digerendi uim obtinent: Chalcitis & palmæ succus repellendi, astringendiq;. Ex his igitur pharmacum cõposui, quo iam cõplures usos esse nouistis: ideo quod omnibus sui generis melius esse usu & experiẽtia comprobarũt. Etenim ratio compositionem inuenit: experientia de inuentorum uirtute decernit, ut etiã rationalium methodorum imperitis artificiose confecta fidem faciant. Porrò cum superioribus medicamentis argenti spumã temperaui, quæ nihil magni adeò momenti adferre potest: neq; repellẽtibus quod influit, neq; digerẽtibus, quod iam particulis

culis phlegmone laborantibus infixum est: quippe siccandi uirtutem habet, sed non ualidam. Quare ipsam ceu aptum medicamen in emplastri compositionem adiunxi: nam cum prædictis incoquitur, donec substantia eius omnino digitos non inquinet. Adipem uerò insulsum, & quammaximè fieri licet uetustißimum esse cōuenit: tum oleum uetus similiter, quod cū suillo adipe propinquam uirtutem habere didicistis: licet adeps paulò maiorem emolliendi calefaciendiq; uim obtineat. Audistis autem uetustate ipsa tenuioris substantiæ fieri, & digerere promptius: eoq; phlegmonis, quæ magnum parti dolorem inferunt, magis blanda ac mitia sunt ipsa recentia: ijs uerò quæ tales non sunt, commodiora uetusta. Et quò phlegmone diuturnior, & contumacior, hoc magis uetera prosunt, ac sola curare ualent: modò postea nihil afflictæ parti influat. Quòd si influxerit, mixtam esse medicamenti quoque uirtutem oportet, cuiusmodi habet à me compositum pharmacum, ac propterea chalcitidem & palmam digerentibus admiscui: non ignarus, paucas adeò phlegmonas diuturnas existere, quibus nihil influat. Nam ob humores in eas confluentes diutinæ esse solent. Porrò dum hæ incipiunt & accrescunt, astringentium refrigerātiumq; medicamīnū uirtus rectè præpollet: ideoq; hoc emplaston pharmacum adusque humidi cerati spißitudinem liquefactū multis utile redditur, interim uino adiecto, uel aceto, uel aqua illiquescēs: nonnunquam ex oleo crudo, ὠμοτριβὲς appellant, uel alio quodam astringēte, quale est Hispanum, & Histricum: uel ex dulci aliquo astrictionis experte, uel etiam uetusto.

uetusto. Ego quoque myrteo & melino, ubi ualidius astringere res postulabat, medicamentum liquefeci. Hæc ipsius compositio tali temperatura constat.

Vetusti adipis, quem institores axungiam appellant, sint pondo duo, olei ueteris pondo tria, argenti spumæ tantundem, chalcitidis pondo unciæ quatuor. Hæc ita coquere oportet: Adipis membranulæ omnes eximuntur, reliquum * contunditur, ut liquari poßit: mox ad ignẽ liquefit, deinde per colum distillatur ut purum fiat, nihilq; membranæ habeat, pondo duo prædicta pendens: postea chalcitidis læuigatæ pondo triens cum olei quadrante adipe miscetur: his argenti spumæ pondo tria adijciuntur. Ac omnia ubi simul in mortario coierint, conijciuntur in cacabum, ac rudicula palmæ mouentur. Sufficiet autem ramus unus maiusculus, ut solida ligni parte mouendo utaris in modum spathæ dictæ: uocant enim sic quo confecturas mouent. & nos perspicuitatis gratia similiter nominabimus. Quod autem solidæ rami parti contiguum est, circunciditur, & tenelli procedentes ramusculi decerpti contunduntur, sed cortice prius exuto, ut segmenta iniecta pharmacum succo suo imbuãt inficiantq;. Proinde statim ab initio spatha utendum est, sed tenuia palmæ fragmenta inijcere oportet, ubi medicamentum cerati temperaturam habuerit: nam si prius immittas, succus ipsorum, quem manere uolumus, ex decoctione consumetur. Insuper spathæ, qua medicamentum mouetur, pars intincta postquam inarescit, ut proprium succũ non amplius seruet, amputata reijcitur, reliqua est usui. Hæc rursus quatenus medicamento intin-

*cõfringitur

cta ſiccata fuerit, ſimili modo abſecatur. Conſtare autem uobis arbitror, quòd palmæ ramũ non multis diebus antè abſciſſum arbore eſſe oportet: quippe temporis interuallo areſcit, & ſuccum amittit. Pridie igitur per hyemẽ auferatur, æſtate eodem ipſo die quo cocturus es pharmacum. Vbi iam coctum craßitiem, ut tactum non inquinet, acquiſierit medicamen, illitum facit ad ulcera, quæ cicatricem ægrè ducunt, δυσεπούλωτα Græcè uocantur: ad cruẽta ualet oleo liquefactum: benefacit phlegmonis, podagris, articulorum morbis, inguinum inflammationibus, phymatis, ambuſtis, pernionibus, fracturis oßium, contuſionibus, omnibus deniq; affectibus, quos appellant rheumaticos. Iam uerò multi qui hernias abſecant, poſt manus operam ſtatim ipſum cum fomentis & cataplaſmatis præparatum imponunt: ſi quidẽ chalcitidis unciæ ſex immittuntur, quæ eſt ſelibra, medicamen ad magna uulnera glutinanda promptius, atq; ad ea quæ cicatricẽ ægrè ducunt, efficacius fiet. Sunt in hoc etiam alia eiuſdem potentiæ medicamenta: ipſi tamen cum oleo liquefacto magis quàm alijs omnibus in rheumaticis affectionibus fidendum eſt. Cum enim plurima eiuſmodi Romæ exiſterent, nullum tam celebre probatumq́; fuit. Conducit, ut dixi, podagricis, articulorum uitio laborantibus quolibet tempore, cum dolores intenſi nõ ſunt, qui fotus & cataplaſmata lenientia poſtulent. Incipientibus igitur atq; augeſcentibus etiamnum id genus uitijs, liquefactum pharmacum refrigerare ſinito, ac ſpathomela deradens pilæ inijcito, cui uinum ſuperfundito: quod ut recipiat, manibus ſubigito. Erit autem uinum auſterius, ætate quidem

dem

dem medium, substantia non crassum, sed quàmmaxime fieri potest lucidum. Nam huiusmodi, utpote substantiæ tenuioris, in altum corpus penetrat: tantisper autem liquefacto medicamini ipsum infundito, manibus conterens, dum excipiatur tempereturq́;: nec humidum restet, quod non cõtrito ac emollito pharmaco mixtum sit. Ad hæc etiam si non prius refrigeratum medicamentum deraseris, liquefacto & adhuc calido uinum superfusum permiscere licet. Itaque in phlegmonω̃n principijs uim repulsoriam ualidiorem esse oportet. In incrementis uerò hæc nonnihil imminuenda: quæ digerit uirtus augenda est. Porrò cum in statum proprium, seu uigorem phlegmones tumor peruenerit, pares inuicem esse potestates conuenit repellendi & digerendi: nisi quis uehemens dolor pharmacum leniens requirat. Cæterũ inclinante phlegmone digerendi uim augebitis, ut prorsus nihil uini eo tempore misceatis. Præterea dum id liquescit, si quando astrictoriam qualitatem euidenter excellere uolumus, Hispanum oleum, uel Histricum, uel quod omphacinum seu omotribes, Latinè immaturum, seu crudum appellant, inijciendum est. Vbi æquales utrasque facultates habere cupias, oleo dulci, nec recenti, nec uetusto liquandum est. Si ut digerat expetis, uetus oleum, uel cicinum commodè sumitur. Itaque hoc emplastum medicamen dum liquefit, in hunc modum temperatur: Oleum paulò copiosius quàm medicamentum esto, ut pondo uidelicet unum absoluat: medicamenti uerò decem uncias iniecisse abundè suffecerit. Clarum est cuilibet, hoc efficacius reddi emplastum, quò plus medicamenti

habuerit: tanto lenius ac mitius, quanto liquidius fuerit ex Rhodino liquefactum. At cerati quod inungi poßit, temperamentum recipit, dum medicaminis pondo in olei selibra liquatum fuerit. Tale uerò phlegmonõn inclinationibus ex usu est. Item sedis, rectiq; intestini tumores phlegmonodas sponte obortos omnibus melius iuuat: atqui tunc liquefactum oportuit cum oleo copiosiore, ut per cornu recti foraminis, cui uesica suis alligata sit, immittatur, uelut in eiusmodi usurpare consueuimus. Ad hæc frequenter ipsum in his ex Rhodino liquefecimus, cacabo uasi in quo liquescit prius subiecto, qui calidam contineat: prunis uerò ardentibus incumbat, aut flammæ fumo carenti. Iam uerò pro superioris temperaturæ modo liquatum, ut liquidi cerati spißitudinem habeat, & naturalium & podicis ulcera persanat, imò & alia omnia, uel etiam ulceratos perniones, & ambusta: etenim uniuersa statim inflammatione liberat, puraq; reddit, & solida implet carne, præsertim ubi plus chalcitidis adiectum fuerit. Insuper nemo ignorat, uinum quoq; medicamento id effecturo admiscendum esse. Quòd si acetum acceperit, ambustis optimè facit, & statim, & postea quolibet tempore impositum: siue illa iam pustulas, siue non habeant. Constat idem facere medicamentum hoc, si quis in aqua feruenti ustus fuerit: qui etiam affectus Græcè πυρίκαυτον, Latinè ambustum igne dicitur. Porrò si pharmacum antè imposueris quàm phlegmone sit orta, nihil adeò ipsius generationem impedit prohibetq;. Quapropter, ut dictum est, nonnulli qui hernias secant, statim eo utuntur, nec prius uulnere madefacto.

Ad

Ad hæc contuſionibus, fracturis, & qualibuſcunque plagis, ſi liquidum imponitur, præſens eſt remedium. Ligamentis autem circundatum faſciarum inſtar quibus rupturæ deligantur, κατανματικὰς uocant, œdemata omnia & inflationes mirificè iuuat. Cùm malo ſucco corpus abundat, uel admodum ſenſile eſt, quàmprimum contuſis & percuſsis partibus illud impones, hyoſcyamos recens adijcietur: qui ſi non eſt propter anni tempus aut locum, nihilo magis deſiderabis, ſi adiungas eum qui uere depoſitus eſt, qualis etiam ſingulis annis ex Creta Romam apportatur. Hoc magis adhuc lene ac blandum medicamen ſuccus mandragoræ miſtus efficiet. Non autem uos latet, & hunc à Creta optimum fictilibus poculis huc afferri, cuius unciam unam libræ olei emplaſtri liqueſcentis miſcere ſufficit. Atque interim amplius, interim minus impones, prout diſpoſitio poſtulat. Conducit etiam in eiuſmodi corporibus pharmacum ex Rhodino liquefactum eſſe. Cæterum ex caſu conquaſſatis partibus, uel ligno, uel lapide percuſsis, etſi ecchymoſis quædam contigerit, protinus ab initio medicamen commodè imponetur ex uino, ut docui, liquefactum. Quod uinum, inquam, die tertio, aut certè quarto, ſi particula inflammatione careat, auferri oportet: oleo autem ueteri emplaſtrum liquare. Nam ſi plenius aſtringantur ecchymomata, uix queant per halitum digeri. Hoc medicamento etiam utor aduerſus eryſipelata, præſertim phlegmonode: adhuc longè magis ad phlegmonas eryſipelatodēs. Principio igitur impono ipſum liquatum ex Rhodino, quod oleo omotribi, id eſt crudo & ſalis experte

conſtet: cuiuſmodi eryſipelatis eſt accommodatiſsimum. Ita iam liquefacto ſolani ſucus per totum accuratè permixtus uniuerſus & irriguus mortario ſuperfundatur: qui ſi non adeſt, pſyllij: ſi æſtas fuerit, etiam uuæ acerbæ cum portulacæ, uel ſemperuiui ſucco. Etenim uuæ liquor per ſe plus quàm oportet, aſtringit. Tanta autem aſtrictio eryſipelata promouet, ut quæ calorem ipſorum cutem denſando includat. Rurſus portulacæ ſuccus, neque is ſolus præ lentore nimio poteſt exprimi. Optimum igitur eſt, qui ex uua acerba prius tunſa exprimitur, portulacæ in pila committere, & ſic iterum contundere. Deinde ubi mixtorum unitas diligenter facta fuerit, liquorem elicere. Simili modo etiam ſemperuiui ſuccum exprimes: nam ſeorſum neque ex hoc, quemadmodum neque ex cotyledone ſuccum copioſum exprimere quiſquam poteſt. At mandragoræ pomorum uirentium ſuccus recens adiectus magis aptum medicamen efficiet: quem ſi tempus non admittat, illius quæ à Creta, uel alio quopiam loco aduehatur, miſcere nõ dubitabis: quin & hyoſcyami ſuccum temperare ei conſueuimus, interim meconiũ, qui papaueris eſſe Latinis dicitur. Satius autẽ eſt, unà cum hoc & glauci quippiã ſuperindere. At his multò imbecillior, ſed acquiſitu facilis lactucæ ſuccus eſt, tum agreſtis, tum hortenſis: quam uniuerſi Græci huius tempeſtatis non θριδακίνην, ſed θρίδακα nominãt: agreſtem ſolam θριδακίνην appellantes. His rurſus ciccorij, polygoni, trifolij, & auriculæ muris ſucci minus ad refrigerandum efficaces ſunt: quanquam & ipſi refrigerent. Sed euidẽtius lenticula paluſtribus locis proueniẽs.

Horum

Horum omnium penuria miſcebis acetum & aquã, quæ aſcititias qualitates frigidas habeant: uaſis uidelicet admodum frigidæ, aut niui inſiſtentibus, atque ipſum Phœnicinum medicamentum æquè refrigeratum eryſipelatis admoueatur, donec uehemens ipſorum ardor ſubſidat. Liquet autem, ſubinde ea que aduentitia qualitate frigida eryſipelatoſis affectibus ſuccurrunt, immutanda eſſe, maxime, ubi exactum eryſipelas citra phlegmonem fuerit. Poſteaquam uerò acris illa inflammatio quieuerit, aut nec perfectum planè eryſipelas afflixerit, ſed uel eryſipelatodes phlegmone, uel phlegmonodes eryſipelas, non adhuc externum frigus admoliemur, uerùm à ſuccis etiam impenſe frigidis abſtinebimus: eos medicamini liquefacto miſcentes, qui mediocriter refrigerant. Ab his iam & linoſpermi & chamæmeli ſuccum temperamus, ex eoq; ſolo poſtea medicamine liquato utemur, nihil aliud præterea immittentes. At ſi quando liuidum ex frigefacientium ui eryſipelas euaſerit, non id amplius eryſipelas appellandum eſt: ſed abſtinere non à uini mixtura modò, ſed Rhodini quoq; & aſtringentium oleorum oportet. Nam ſolum Phœnicinum ueteri oleo liquefactum, quod liuorem contraxit per halitum diſcutere poteſt: & tunc affectæ partes aqua calida fouentur, & ſcarificantur. Vobis ſi fuerit uiſum hoc interdum facere, protinus Phœnicini liquefacti humidum medicamen, cui uinum adiectum ſit, imponere conuenit: altero die uinum auferendum. Quòd ſi plus impendiò eryſipelas medicamentorum uiolentia refrixerit, ut iam quoque nigricet, perfuſione & ſcarifica-

tione utemur. Atque citra hæc calcis uiuæ quippiam liquescenti pharmaco immittemus. Dum uerò laborantes teneri sunt, lotam ipsam usurpabimus: tunc prodest etiã succus coriandri pharmaco inditus, qui sanè cum cerato rhodino iuuat non mediocriter. Ad hæc quæ iam similes affectus alia pleraque medicamenta curant, sequenti sermone dicentur: quædam pari uirtute Phœnicini, nonnulla efficaciore prædita. Porrò aduersus fluxionũ uitia, omnium facilè optimum hoc remedium est, ut quod spe maiora frequenter præstiterit. Cum itaque femur aliquando prope inguen cruda phlegmone totum id affligente suppurasset, crus ita nobis figurabatur, ut sanies ad inguen conflueret. Facto autem ulcere, dum hoc longiore interuallo contingeret, fluxio quæ in femur decubuerat, euacuata est. Sed fistulosa quædam dispositio sub femoris totius cute orta est, ut ipsam iuxta patellam, quæ genu pars ἐπιγονατὶς Græcis dicitur, diuidere cogitaremus, quò saniei utrinque liber esset exitus: medicamentis autem liquidis inditis altius penetrandi uia prõptior. Vbi iã femur soluissem, postero die quo incidere ipsum decreueram, inuenta sunt omnia concocta, arida, madorisq; expertia. Nemo igitur non nouit quod rationi consentaneum erat, & postero die, & sequentibus similiter uti pharmaco: quando quidem particula quotidie coloratior ac sanior quàm antea reddebatur. Curato itaque hoc modo adulescente, postea multas rheumaticas affectiones hoc medicamine sanaui, quæ quidem oras simplices haberent, sed ut committi non possent, & fistulosæ intus essent. Non tamen ab ipsius pharmaci usu desistendum

dum esse suadeo, etiam si multis diebus euidens nullum præsidium afferre uideatur, ut quod postea uno interim die simul uniuersam utilitatem maximam ostẽdat. Quare bono animo hoc semper in rheumatis utamini: in corpore tenero quidem, uel puero, uel muliere ad prædictã mixturam quatuor uncias chalcitidis immittentes, in ualido ac duro pro aliorum portione; uel unciam unam, uel duas apponentes, ut quinque uel sex chalcitidis unciæ sint, tres libræ utriusque, nempe olei ueteris, & argenti spumæ. Duæ uetusti adipis, quem institores axungiam appellare diximus, diluatur in rheumatum uitijs oleo dulci nec nouo nec ueteri: assumaturq; uinum austerum ætatis mediæ. Hoc pharmacum coarguit Thessali nugacitatem, efficacißimum auxilium à contrarijs potentijs compositum ostendens: unde si alteram adimas, nihil prædictorum fiet. Neque enim ex astringentibus solum, siue laxantibus ad rheumaticos affectus magnam commoditatem afferet, uel certè ad phlegmonas incipientes, & augescentes. Neque lenimentum, neque discutiendi uim ex solis relaxantibus sine astrictione confectura nanciscetur: quæ indurata habent emollire. Porrò laxabit perfectè, & mediocriter emolliet, si non admodum uetus oleum & adipem receperit. Quod itaque Mnasæus pharmacum condidit, æqualia inuicem continet, tum oleum, tum argenti spumam, tum adipem, sed maximè phlegmonis incipientibus increscentibusq; est contrarium. Habet & nostrum hoc eadem quæ Mnasæi, argenti spumam uidelicet, adipem & oleum: si nihil ex ijs quæ astringunt acceperit, particulas eneruat, & ro-

bur earum dissoluit: ob quod etiam fluxioni fiunt obnoxiæ. Didicistis enim, non semper ob calorem immodicum, ut quidam arbitrantur, corporis particulas fluxionibus laborare, sed hoc rarò accidere: imbecillitatem verò illarum id genus uitij progignere, quæ utplurimũ ex intemperie frigida proficiscitur. Itaque si humectet eas quispiam, calefaciatq; medicamentis laxantibus, dissolutæ prorsus & infirmæ fiunt. Rursus si tumores in rheumaticis morbis fortiter astringat, initio quidem proficere uidebitur: cæterum qui restat, cõtumacem & scirrosum faciet. Nam tales affectus subinde ne quidem ferunt nimis astringentium impositionem, ut à quibus dolore & tensione molestentur. Atqui omnis dolor inflãmata exacuit irritatq;, & fluxionibus occasionem præbet: quamuis rheumatica intemperie æger non afficiatur. Sed miri nihil est Theßalum medicæ artis operum inexpertum, & qui morbos ratione inuenire nequeat, omnem phlegmonarum curationem ignorare. Vobis autem qui crebrò tum Phœnicini huius, tum aliorum medicamentorũ, quæ contrarijs constant uirtutibus, efficacißima in multis morbis auxilia uideritis: conandum est interim, ubi iam composita desiderantur, eadem methodo ex illis quæcunque regio præbet, cõficere: cum phlegmonẽ suspicamini futuram, uel incepisse modò, quæ magis astringũt: in augmento, quæ minus: in statu & inclinatione, quæ magis relaxant, & digerũt. Semper tamẽ utraq; misceatur, & repellẽdi, & discutiẽdi facultas: nisi quãdo fluxio prorsus cõstiterit, et corpus uacuũ fuerit, tũc ad digerẽtẽ, sicut in primis incursibus ad repulsoriã uirtutẽ, tuta est acceßio.

De em

De emplaſtris quæ ex argenti ſpuma præparantur.

QVoniam in emplaſtri mei Phœnicini confectura adipem uetuſtam & oleum, digerendi poteſtatem habere dixi, chalcitidem uerò & palmam colligendi repellendiq́; : hæc autem medicamen emplaſtũ ſine argenti ſpuma procreare non poſſunt: ob id uiſum mihi eſt de ipſius ſpumæ uſu deinceps uerba facere. Siquidem Phœnicini uiribus nec eam obeſſe, nec conducere, ſed materiæ ad emplaſti pharmaci compoſitionem idoneæ rationem obtinere putandum eſt. Non abſurdum itaque mihi apparet, ſi de eiuſmodi medicamentis, exempli gratia, de ſpuma argenti diſputationem inſtituero. Sunt non pauca quæ poteſtatem aut nullam, aut exiguam admodum pharmaco quod præparatur ſimul afferunt : commoditatem uerò materiæ præbent, ut uel emplaſtri, uel cerati ſpeciem referat. Neque enim argenti ſpuma manifeſtò calida eſt, ſicut nec frigida, nec humida, ſed modicam ſiccandi habet uirtutẽ in primo abſceſſu, ab his quæ adamußim media ſunt inter humida & ſicca. Non tamen uis eius eſt ferruminare, ſicut nec aperire : item nec abſtergere, quemadmodum nec expurgare euidenter, ſed paulum à medijs ad craßius receßit. Verùm hoc quoque ex diuturna coctione deponit fuſa ob ignis potentiã, & alterata. Porrò ſola per ſe cruda femorum attritus ex itinere iuuat, quo etiam modicè exiccare cognoſcitur. Ad hæc neque acrem, uel ſuauem, neque acidam, uel amaram, uel auſteram, uel acerbam, uel omnino aſtringentem facultatem ipſam habere guſtus abundè teſtis eſt.

Argenti ſpumæ vſus & vires.

Quemadmodum etiam ulcera nec ab ea derodi, nec calefieri, nec refrigerari, nec purgari, nec carne impleri, nec cum caro supercreuerit, tolli percipimus. Licet itaq; nobis in uarium usum administrare argenti spumam, interim ex oleo & aqua coctionem eius adusque emplastri spißitudinem molientibus, interdum ex oleo & aceto, aliquando ex oleo & uino. Porrò in quibuscunque istorum coquatur, melius id medicamenti redditur, quod magis coctum fuerit, quod liquidorum quæ miscentur copia continget. Est enim ex ijs pharmacis, quæ liquefieri possunt, etiam spuma argenti, dum tota funditur, sicut resina & cera: sed non statim ubi ignem contigerit. Vnde multis imponit, qui nullo modo ipsam fundi existimant. Igitur cum oxelæo cocta, liquescit citius perinde ut cum ærugine, quæ & ipsa fundi solet, uti chalcitis & misy.

De metallis quæ liquefiũt

Omnium itaque celerrimè chalcitis funditur: tardißimè argenti spuma. At in horum medio sunt ærugo & misy: funditur & sori, sed lõgiore tẽporis interuallo, ut quod terrestre magis & saxeum sit quàm chalcitis & misy: sed de his iterum dicetur. Argẽti spumam per oxelæum coquens ocyus liquefacies, per hydrelæũ tardius: tamen funditur sic quoq;, si duplum eius sit utrunq; liquidum. Ego certè plus etiam quàm duplum miscui frequenter, ut paulò pòst exponam. Atqui melius est statim ab initio hæc tria in mortario temperare, argẽti spumam, aquam, & oleum. Quòd si candidum medicamen esse cures, oleum purius lucidiusq; inijcito, atque aquam similiter puram ac candidam, coquaturq; in loco sub dio soli exposito: quia nubilus aër pharmacũ denigrat: syncerus magnum

gnum ad albedinem adiumentum adfert, sicut aqua in huiusmodi aëre aspersa. Cæterum obseruato, ut coctionem lignis, aut carbonibus peruri incipientibus moliaris. Nã fumus ei facile nigredinem conciliat. Perustis igitur antea carbonibus cum exactè ardent, tunc coctionem auspicare. Quòd si illam protinus non absoluant, in alio foco simili modo carbonibus preparatis cacabum superponito. Quæ ergo medicaminis candidi faciendi gratia obseruanda sunt, abundè satis indicatum est. Iam uerò hoc fit glutinantius, quo plus, ut demonstratum est, liquoris affuerit. Quemadmodum si singulorum trium pondo libram unam inijcias, firmius adhærebit. At si argenti spuma non illiquescat, causa est potißimum, cur id facile decidat: sicut diutius adhæret, cum argenti spuma cocta funditur, alteraturq́;. Candidius sanè erit, citiusq́; coquetur, libris duabus aquæ in tres utriusque, puta spumæ argenti & olei iniectis. Atque hoc in paruis ulceribus uti consueuimus. Medicamenti, quod aqua coquitur, potestas nota est, si meminerimus eorum, quæ in commentario de simplicibus medicamentis dicta sunt.

Vt cãdidum sit emplastrũ

De emplastro quod ex argenti spuma & hydrelæo conficitur.

AQua peculiari substantia semper humectat & refrigerat. Ascititio autem calore assumpto, donec ipsum perseruat, excalefacit: frigida facta refrigerat. Oleum sanè si recens sit, pharmaco non renititur: permanet enim humidum & modicè frigidum, quali maximè tenera corpora & uitiosis humoribus obnoxia indigẽt.

Mulieres

Mulieres itaque & pueri, atq; ex grandioribus mollem corporis habitum ſortiti, nempe candidi cute, eius generis medicamenta requirũt. Porrò coctum oſtendimus ex oleo copioſiore, & aqua reddi tam glutinans, ut ne quidem à lotis décidat. Etenim ulceribus quæ ad cicatricem ueniunt, multis diebus ſubſequentibus pharmacũ immanare expedit, quò melius & citius ita cicatrix ducatur. Notum eſt huiuſmodi pharmacum pruritus, deſquamata, & ut uno uerbo expediam, praua ulcera perſanare, in quibus & ſubliquidum, ut uocant, ceratum, aliaq; id genus utiliora ſunt ijs, quæ ualidam poteſtatem occupãt, qualia magnis uulneribus imponuntur. De quorũ omniũ ſimul uirtute in tertio libro de morbis curandis dictũ nobis eſt: in quo generales communesq; ſermones (uniuerſales nuncupant) de quaque ulceris differentia tradidimus, oſtendentes, quales medicamentorum, quibus illa curabuntur, uires eſſe conueniat. Hic uero particulares materias recenſemus, temperaturas eorum definientes & modos, quibusq; in præparatione reddantnr optima demonſtrantes. Ex hydrelæo itaque argenti ſpuma, ſicuti comprehenſum eſt, præparata, emplaſtrum tactu blandiſſimum, & adhærendo pertinax efficit: præterea aſpectu album, refrigeratoriam uim habens mediocrem, cuius auxilio exulceratis partibus ne quid influat, impedit, & iam influxũ denuò ad partes extimas retrudit, ut res fiat huiuſmodi, qualis cum ſpongiam aqua frigida humentẽ particulæ cuidam corporis imponimus. Nam illa rugoſum contractumq; totum locum facit, non tantum expellens quod influit, ſed etiam quod in eo continetur ad uicina

cina extundens. Atque emplastrum modò commemoratum, non ex prima facultate, sed per accidens exiccare dicetur. Propriè nimirum & primariò ea quæ digerũt, & temperamenta ad ficciorem statum perducunt, nominantur siccantia: ex accidenti uerò etiam ea, quæ frigoris causa id quod influit, remittunt: quod continetur, expellunt. In summa, nullum humectans, uel primariò, uel ex accidenti ulceribus commodum est, ut in tertio Methodi medendi libro demonstrauimus.

De emplastro quod ex argenti spuma & oxelæo componitur.

DE argenti spuma quæ ex hydrelæo præparatur etiam hæc sufficiunt. Digrediendum modò est ad eam, quæ oxelæo cõponitur. Itaq; mediocriter exiccans medicamentum fit, si utriusq;, nempe olei & aceti, duplo maior portio quàm argenti spumæ misceatur. At si uetus oleum sit, multo magis exiccat: copiosior uerò duplo utriusq; mensura ualentius facit pharmacum. Quapropter fistulas, quæ nondum callum durum habẽt, curat. Cæterum spumæ argenti una pars inijcitur: illorum singulorum duæ s. Quinetiam tripla cuiusq; parte temperata nonnunquam toto die coxi medicamentum. Vnde quidem reddebatur nigrum, sed perinde ac bitumẽ probum splendescebat. Porrò maxima siccandi potẽtia pollet, curatq; ulcera perdifficilia, & fistulas, quales dixi, iũgit, tũ uulnera cruẽta glutinat: uno uerbo, exiccat sine morsu. Huius rei gratia etiam alia uniuersa ulcera sanat, maiora minoraq́;, donec ad cicatricẽ perueniãt. Aequum est & alia quædã eius opera cõmemorare, quæ forsan ne

quidem

quidem speraueris, quantũ ad materiæ humilitatẽ attinet. Nam cum febris solutio ex parotide suppurata cuidam accidisset, fistulam fieri suspicati sumus, quam sex mensibus post principium in agro mihi ostenderunt. Erat enim puer agricolæ annos natus circiter quindecim: huic cum ex emplastro illo, quanta tunc mihi copia aderat, imponendum dedissem, ipse in urbem reuersus sum, pluribus negotijs medicis occupatus: interea oblitus sum eius qui pharmacum acceperat: sed à bimestri præter animi mei expectationem uenit incolumis: immittentibus enim nobis suillum pilũ per fistulam, ad articuli commissuram usque procedere uidebatur. Non multo pòst, cum alius puer forte fortuna eiusdem cum priore ætatis, eodemq; morbo laborãs mihi esset ostensus, emplastrum hoc imposui, quo ille pariter integræ sanitati restitutus est. Ab eo tempore plurimos simili uitio huius medicamenti uirtute liberaui, tum pueros, tum adolescẽtes, tum mulieres. Vos igitur, si uti eo ad huiusmodi affectus uolueritis, uetustißimum oleum, & acetum quàmacerrimum, ex uino uidelicet solo confectum inijcitote: non ut quidam aqua mixta ipsum præparant: sed purum sit, & quàmmaxime licet pellucidum. Tale siquidẽ tenuius commodiusq; ijs erit, ad quæ ipsum requirimus. Hoc pharmaco etiam musculos induratos subinde curaui.

De emplastro quod ex argenti spuma & œnelæo præparatur.

RElìquum est, ut de argenti spuma dicam, quæ ex œnelæo componitur, & parem prædictis temperaturam

turam ac uirtutis excessus pro humorum copia respondentes habet. Etenim æquali portione tria muxta præparaui, & duplo maiore utriusque liquidi mensura quàm argenti spumæ: interdum triplo imposita. Confeci autem nonnunquam hoc modo: Per æstatem sole calido argenti spumam ex uino falerno conterebam singulis diebus quindecim continuis, uinum rursus, si fortè primum euaporarat, infundens. Ab eo tempore coctum medicamen exiccans abundè factum est: quo in rheumaticis constitutionibus perinde ac Palmeo, quod φοινικίνον appellaui, usus sum: ex oleo liquefaciens, ut in illo prædictum est. Ac femur iamdiu induratum, cruentaq; uulnera eo sanauimus. In summa, ad omnia fuit optimum. Atqui si falernum ad manum non habeas, aliud sumito colore fuluum, sed tenue substantia, ut pelluceat: cuiusmodi est Ariusium, quod in Chio nascitur, & odorum uehementer Lesbium: in Mitylena paucum, in Eresso & Methymna copiosius meliusq; proueniens. Item quod falerno simile est, Tmolites. Est & hoc tenuissimum, fuluum colore, dulce mediocriter, nimisquam odoratum. hoc inueteratum omnibus usui esse potest, quibus & falernũ. Insuper aliud Tmolites uinũ est simile ei colore & substantia: uerùm nec dulce, nec odorum. Habet autem uim quandam astringendi, sed suauitate multò inferius est. Hæc itaque ex cocta spuma argenti fiunt medicamenta.

De crudæ spumæ argenti vsu.

INcocta quidem per se, ut annotauimus, attritus emendat. Ex oleo autem seu uino trita siccataq; ulceribus medetur, quæ ob humiditatem uix cicatricem recipiunt.

Quòd si rosionis expertem esse cupis, elota utitor.

Quomodo lauare oporteat argenti spumam, & reliqua metallica.

FAcilè eluitur, ut quæ statim propter innatam grauitatem liquoribus, in quibus læuigatur subsidat: unde totam rosionem in aqua lota exuit: acuti uerò sensus homines, parum adeò mordacem percipiunt, si ex aceto uel uino eluatur. Porrò conuenit, diligenter toto die contritam cum liquore per noctem relinquere: postero die mane illum auferre: alium mox superfundere: postea rursus terere similiter: iterúmque sequenti aurora liquorem emittere. Quod faciundum est, donec simul cum liquido argenti spumæ uelut tenuissima quædam portio appareat: cúmque nihil sorditiei amplius inest, nihil etiam magis effundendum est. Attamen conterere diebus pluribus, etsi nihil ei insistat, sole feruenti satius est: ita enim accidit, ut medicamentum exiccet ualentius. Porrò nouerunt omnes id æstate non solum in argenti spuma, uerùm in alijs etiam quæ hoc modo præparantur fieri commodius. Siquidem cadmia, æris squama, æs ustum, item quod uocatur diphryges, cerussa, misy, sori, stymmi, & omnes lapides, præterea calx perinde ut argenti spuma ex liquore aliquo prædicto eluuntur, læuigantúrque: interdum ex marina præparationem ipsorum molior, de quibus in sermonis processu rursus agitabitur. Nunc enim propositum mihi est emplastra percensere, quæ iuniores medici cum ρω *in ultima syllaba & scribunt & enunciant: quemadmodum*

modum in Centrio, & Milotride facere omnes consue-uerunt. Siquidem in his prima nominum positio uidetur sine σῶ facta fuisse à uerbo quidem κεντεῖν Centrio nominato, ultima syllaba σῶ non habēte: Milotride uerò cō posita ex mila & ote. At cùm hoc tēpore propè omnes ea cū σῶ efferant, non peccaueris, si eodē modo cum illis pronūcies, præsertim in Centrio. Quippe ostendimus in opere quod cōtra illos, qui barbarè loquentes corripiūt, prodidimus, & ipsos Atticos uiros ualescentē usum & consuetudinē secutos fuisse. Nā alij quoq; ante me indicarunt Atticorum linguam permultū à proprietate sua decidisse: ac omnes, quorū eloquentiæ laus ac gloria maxima apud Græcos extat, suæ quenq; tēpestatis morem imitatos fuisse. Et nos itaq; cum nullum non inueniamus nunc medicamentarios libros emplastri nomen cum σῶ scriptum habere, usum præualentem sequemur.

De medicamētis quæ ex molybdęna cōficiūtur.

RElatum est superius quoq;, molybdænā & argenti spumam in eūdem ferè usum adhiberi. Omnia enim quæ ex argenti spuma componuntur, etiam ex molybdæna fieri possunt: sed facultate inuicem differunt, tantum ut molybdæna substantiæ craßioris frigidiorisq; sit: argenti spuma tenuioris, & inter calidam ac frigidam mediæ. Cæterum colores medicamentorum, quæ inde præparantur, molybdæna nonnihil euariat, quāto magis giluos ipsos efficit. Quare & alborum emplastrorum, quæ non modo cerussam, sed argenti spumam quoque habent, nullum ex molybdæna constat. Cuius mistura color

albus, cinerius redditur: potestas autem ut in albo emplastro, quod ex hydrelæo componitur, melior etiam euadit, præcipuè in teneris corporibus, tantum abest ut pereat. Cũ discutere quid uolumus, argenti spuma quàm molybdæna potior est. Pari modo in reliquis medicaminibus, quæ ex argenti spuma compositionis titulum sortita sunt, cum molybdænam adijcimus, color & uirtus immutatur, quantum paulò ante uobis indicauimus.

De emplastris albis quæ ex argenti spuma, & cerussa fiunt.

VEl coloris causa medici cerussam argẽti spumæ ad emplastra alba conficienda miscent, uel ut quãdam astringendi, ac refrigerãdi uim medicamento concilient. Quippe uidentes huiusmodi nigrescere, cum largius coctum fuerit, præsertim lignis, & ijs forsan fumidis, nec in aëre puro, mox ab igne tollere coguntur: ob quod ipsum nec aquam copiosam, nec oleum temperare. Merito igitur resinam ei adiungere considerarunt, quo sequax, ac sibi continuum fiat, uiscosum quid assumens, maximè cum liquida resina immittitur. at ex tali mixtura deterius efficitur pharmacum: etenim mordax aliquid resina repræsentat: quod siccet nihil adeò generosum: cuius usum priuatim ulceribus esse necessarium didicistis. Quædam itaque resinæ uel insigniter derodunt, de quibus uniuersis iterum sermo futurus est. Mitißimæ uerò duæ inter eas sunt: prima terebinthina, laryx altera nuncupatur. Has igitur miscere satius est, ubi id genus emplastri conficere cogitas. At multò leniora tactu omnia

omnia fiunt, tum quæ resina constant, si ceræ quid adie=ctum sit: tum quæ ex cera, si resinæ nonnihil admixtum habeant: quamobrem cera resinæ temperanda est, ut autem color emplastri albus seruetur, albam esse congruit. Est sanè alba, quæ suapte natura prouenit, pontica: sic nominari consueuit, licet aliunde ueniat, quòd plurima in Ponto alba nascatur, alijs in regionibus paucißima. At candida, quæ tyrrhenica nominata est, non sponte crescit, quare nullam euidentem habet acrimoniam. Quæ uerò suo instinctu crescunt, nonnullæ acres sunt, quas prius eluere oportet in hunc modum: Liquantur primũ ad ignem, deinde in aqua fontis pura demerguntur: ubi permouentur expurganturq́;. Simili ratione & pix, & resina, & quod physema dicitur, lauandum est. de quibus iterum exactius commentabimur. In præsentia, quoniam albi emplastri compositionem tradimus, reliquum eorum quæ præcepta sunt deinceps percensebimus. Posteaquam ergo cerussæ, spumæq́; argẽti coctis prius usque dum medicamen digitos non inquinans appareat, cera simul cum resina fuerit adiecta, candidum emplastrũ, si placet, habebitis: interim aquam inijcientes, interim oleum duntaxat: idq́; nunc recens, nunc uetus. Prius enim iam audiuistis, quam uirtutem aqua & oleum uetus habeat: Nouistis item, quod omphacinum oleum, & id quod colitur in Hiberia, quæ nunc Hispania dicitur, astringens quippiam pharmaco adijcit. Histricum non modò exiguam astrictionem, sed amaritudinem quoque refert. Proinde differunt tantum ex astringentibus confecturæ, ab ijs quæ dulci oleo constant, quanto initio ul=

ceris & fini potiora ſunt omnia quæ nonnihil aſtringẽs continent: in medijs, dulcia. Nam in principio medicamenta repellentia proſunt ulceribus, ne phlegmone corripiantur. Inde quæ magis relaxent, ſi non phlegmone adſit, tranſpiratus gratia: quòd ſi affuerit, etiam ob illam ut citius diſſoluatur. Atqui clarum eſt, de parua phlegmone uerba fieri: ſiquidem exigua ulcera, in quibus albis hiſce emplaſtris utimur, magna comitari phlegmone non poteſt, ſi error nullus acceſſerit. Cæterum ulceribus quæ ad cicatricem ueniunt, aſtringendi qualitatem utilem eſſe cui obſcurum eſt? Tempus igitur iam poſtulat, medicaminum quæ emplaſtrum album utiliſsimum conſtituunt, temperaturam exponere.

Pondus emplaſtri.

Aequa ſit portio utriuſque metallici, ceruſſæ & argenti ſpumæ: & hæc, ſi uideatur, eſto ſingulorum pondo libra: olei uerò menſura amborum ſimul pondus abſoluat, uel ut Romani dicũt, ſint pondo libræ duæ, ceræ pondo ſelibra, terebinthinæ illius dimidium, hoc eſt, pondo unciæ tres. Quòd ſi thus admiſceas, primum lenius euadet, ſeu ut Græci dicunt, ἀνωδυνώτερον, tum parua ulcera, quæ phlegmone infeſtat, ocyus concoquet: ſed ad cicatricem ducendam erit imbecillius. Nam carnem ſupercreſcentem promouet, quoniam thus σαρκωτικὸν eſt, ut in tertio libro de morbis curandis legiſtis. Satius itaq; eſt, inijcere & aluminis paululum, tum ad cicatricem ducendam, tum alterius cauſa: quandoquidem laxantia medicamenta plethoricis, & uitioſo ſucco obnoxijs corporibus adhibita, affectis partibus fluxũ concitant. Ex his

itaq;

itaq; omnibus cōpositū medicamē, tumores præter naturam in molli corpore, qui nec magni adeò, nec dolorifici sunt, discutere poterit: præsertim cū thus abundè assumpserit. Erit itaq; in prædictis copiosum thus, si æquale terebinthinæ pōdus accipiat: sin eius dimidiū, minorē digerēdi uim medicamētū habebit. Magis autē cicatrici ducēdæ erit idoneū, q̃ quod duplo copiosius id receperit. Iam si plenius adhuc digerere cupiatis, etiā piperis albi pauxillū adijcitote, quod ulcerū cicatrici obducēdæ nihil obesse potest. Sit igitur aluminis pōdo uncia, in piperis semūcia: Ratio siqdē est, huius tres denarios, illius sex inijcere. Quoniā uerò præstat alumē, et aliâs quod scißile nominatur, & colore cādidū est, id immittere expedit.

Quomodo candida emplastra componenda sint aduersus vlcera, cacoëthe, & quæ cicatricē difficulter admittunt.

QVæ dysepulota, id est, uix ad cicatricē uenientia, quæ item κακοηθῆ, id est, maligna uocē, distinguendum modò est: quia non solū in præsentē disputationem, sed etiā in futurā commodū est. Quæ itaq; ex humorum cōfluxu, uel multorum, uel acriū oriuntur, sine eo quòd locus affectus huiusmodi iam dispositionem habuerit, ut licet bonum sit quod influat, tamen ipsum corrūpat, dysepulota nomino. Porrò quæ iam dictū obtinent affectū, singulari uocabulo cacoëthe appello. Nunc igitur cum priores me emplastra quædā alba, ut quæ dysepulotis cicatricē probè obducāt, cōscripserint, propterea ego quoque alba scribo emplastra, quæ aduersus dysepulota omnia, & cacoëthe nōnulla, quæ nō prauū admodum ha-

bent statum, composui: Nam in illis denuò medicamenta accommoda dicentur. Primum hic methodum dicturus sum, qua id genus emplastra quàmplurima conficere discetis. Duplex enim scopus est: alter omnium quæ ratione componuntur medicamentorum communis: alter peculiaris colore ab his differens. Quæ igitur in commentario de simplicibus medicamentis cognouistis, sine rosione quidem ac morsu, ualidè tamen adeò exiccantia, hæc in memoriam reducite. Omnino autem referebat ea, præterquam quòd non erodunt uel astringunt, manifestò etiam detergere posse. Siquidem caua plurima eius generis ulcera tanquam ab exesione humorum malignorum facta apparent: eiusq; rei gratia carne impleri desiderant. Ostendimus in tertio Therapeutices libro, omnia quæ carnem generant medicamenta detergendi facultatem habere: Multa etiam alia siccam obtinent uirtutem, huiusmodi ulceribus curandis accommodam. Sed age nunc repetamus ea, quæ candorem tueri poßint, aut non adeò lædere. Hoc ex genere est cadmia, pompholyx, calx, ostrea cõcremata, purpura, buccina, & sepiæ pars ossea: parum officiet colori & æris squama, & ustæ chalcitidis non fuluum, sed cinereum, uel subalbidum. Quomodo autem huiusmodi præparandum sit, rursus in theriacæ antidoti sermone dicemus. Porrò dictorum quodq;, si lauetur, totam rosionem amittet: quemadmodum cera quæ medicamini conficiẽdo admiscebitur, tum resina. Cæterum quòd cera tyrrhenica, uel pontica dicta, ad cãdidi emplastri præparationem sit idonea, prius explicatum est: resina uero & laryx, & terebinthina,
uti

uti uocantur, aduersus ulcera maligniora magis ualent. Thuris partem aliquam indere non abs re fuerit, ut ulcerum maleficorum dispositio coquatur, & ad suppurationem ueniat. At non solum ex prædictis medicamentis unumquodque lauandum uenit, sed etiam metallica, tum quammaximè in loco soli exposito, uel aqua, uel aceto, uel marina, uel uino læuigare oportet: pura autem & candida, & perspicua singula erunt, candoris cuiusdam medicamento conciliãdi gratia. De cerussa, oleo, coctionis modo, aëre circunfluo, & igne, quomodo quodque eorum albedinẽ adferat exposuimus. At quemadmodum in alijs, ita in his quoq; facultatis aquæ, aceti, marinæ, uiniq́; albißimi peritum id in compositura temperare conuenit, quod insigniter curando morbo profuturum est. Etenim in ulceribus prætumidis, ὀχθώδη appellant, quæ oras crassas, callosas, multamq́; attenuationem requirentes habent, ex aceto & marina curiosè læuigata, magis quàm quæ per aquam idonea sunt. In quibus autem acre & mordax est humidum, quod in ulcera fertur, ex aqua terere potius singula metallica necesse est. Quemadmodum rursus ex uino magis, ubi copiosus humor ulceribus influens apparet. Hæc igitur singula quæ dixi, in unoquoq; iam nominato humore læuigata diebus pluribus, inieci frequenter pharmacis, & omniũ cicatricem ducentiũ, quæ cerussa & argenti spuma constant, expertus sum optima. Verùm scriptiones quasdam amicis quoq; dedimus, qui huiusmodi pharmaca desiderarent: à quibus ipsis in usum ac experientiam producta, quod titulo promittunt tueri uidentur. Itaq; argenti

ſpuma cum ceruſſa prius cocta, & medicamento ferè ad puram conſiſtentiã perueniente, inijcienda eſt larix, uel terebinthina reſina cum cera candida. His pulchre unitis adde metallica, quæ huiuſmodi temperaturam habent. Argenti ſpumæ & ceruſſæ pro cõſuetudine ſingulorum pondo: coquatur cum olei libris duabus, frequẽter etiam aquæ ſelibra addita. Liqueſcit enim argẽti ſpuma citius, tum coctio aquam conſumit, ut nihil ad humiditatẽ pharmaco apertè proſit: reſinæ pondo tres unciæ, ceræ duplũ ſufficit. Quanquã ſi duas reſinæ indideritis interim, quatuor ceræ, ſic quoq; compoſitiones non adeò differre inuenientur: thuris pondo uncia ſemis ſatisfacit poſt cerã & reſinã: deinde tres aliorũ iniectæ, quæ drachmæ quatuor ſunt ad uiginti: impones autem duorum, trium, plurium, ac omniũ quæ numeraui: quorum ſingulorum tibi copia contingat, ut ſi omnia habeas, æquam portionẽ cuiuſq; inijcies, cadmiæ dico & pompholygis, buccinorũ cineris, uel oſtreorum, & æris ſquamæ, ſingulorum denarij ſeptẽ erunt, qui tres uncias abſoluunt. Quòd ſi calcem lotam miſceas, ſingulorum drachmæ quinque ponentur. Si uſtæ chalcitidis, ſingulorũ drachmæ quatuor, ut ex omnibus ſex counitis tres unciæ fiant. Verùm chalcitis uſta ſit, elota, & colore cinereo, non qualem multi ex ijs, qui urũt eam, faciũt: ueluti ſi dicas ex pallido flauã: ſi duo quædã ex his habeas ſolum, tres uncias ex ambobus ponito: hoc eſt utriuſq; unã ſemuſsẽ. Hæc in præſentia ad alborũ emplaſtrorũ conſtitutionẽ ulceribus dyſepulotis curãdis cognoſcere uobis ſufficit. Atqui cerata alba et liquida, πάρυγρα uocãt, etiã ex ijs ipſis præparãtur: differunt

πάρυγρα.

runt

runt tamen ab emplastris, quód neq; argenti spuma, nec cerussa coquatur. Adeps uerò uel anserinus, uel gallinaceus, uel suillus, uel uitulinus indatur. Quód si uinum interim habeas, uel acetum, quæ albißima, lucidißimaq́; sint, aquæ loco ipsa admiscebis.

E secundo libro Galeni

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM ΚΑΤΑ ΓΕΝΗ.

De colorum in Emplastris uarietate.



EDICAMENTA colore similia tradere non est artificum. Quoniam uerò potentes quidam uiri interdum nos iubēt emplastrum sibi melinum cōficere, quod ulcera glutinet, uel cicatricem ducat, uel indurata emolliat, uel aliud huiusmodi facere poßit, coacti sunt nonnulli recentiorum medicorum, ubi similia colore seriatim conscriberent, proprias cuiq; appellationes apponere.

De medicis imperitis, & vlcus cauum curandi ratione.

QVód si affectus cuiuslibet eorum, quos curandos suscipiunt, naturam scirent, methodumq́; cognoscerent,

ſcerent, qua & ſimplicium ſingulorum medicaminũ uires, & ſcopum curationis inuenirent, non utique compoſitionis modum deſiderarent. Exempli gratia: ſtatim cauum ulcus, apertum (nihil enim mali eſt, ut quidam uocant breuioris diſciplinæ gratia, ſic nos quoque nominare) quomodo quis ſanare queat conſideremus: tanquam ſi nondum aliquod ei curando aptum medicamen inuentum ſit. Nam quum docuerimus, à ratione cauorum ulcerum curationem ſubminiſtrari, naſcente alia carne loco perditæ, ex ea uidelicet quæ ſubiecta eſt, cogitauimus fieri non poſſe hoc, ſi in ulcere ſordes, aut copioſa humiditas inſit. Verùm ſordes medicamina detergentia auferunt, humorem exiccantia diſcutiunt. Quoniam ulcera carne implenda pharmaco exiccante, & detergente mediocriter ſine morſu, indigere demonſtrauimus, conuenit eiuſmodi pharmacorum materiam quænam ſit in memoriam reducere. Indicata eſt in libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus, inſuper conueniens ſingulorum ordo: Hoc etenim, ſicut dixi, admodum utile eſt, ut ſi quando fortiore quis pharmaco opus habeat, ad quod digrediatur cognoſcat. Verùm cum ſimplex nullum habemus, compoſito utimur. Atque primum fingamus nos habere ceram & æruginem, aliud nihil quod cauo ulceri manifeſtè conducat: thus dico, irim, ariſtolochiam, farinam eruorum, radicem panacis, & quæcunque ex hoc ſunt genere. Quum igitur ſciamus, quòd cera ſola impoſita ſordidum ulcus efficiat, quia neque detergere, neque exiccare poßit, ærugo roſionem inferet: præterea exedet, atque phlegmonem excitabit: quæ ſanè utraque

deuitabimus: medium ex ambobus aliquot conficiemus, imbecillius quidem ærugine, ualentius autem cera. Sed quoniã hæc paululo inferior est eo quod commodè queat adijci, ærugo autem multum præcellit, multæ ceræ modicam æruginem admiscebimus. Quantam autem quantæ? Hoc enim deinceps uenit dicendum, exactè quantitatem cuiusq; ante experientiam inuenire posse neminem: conijcere tamen & iudicare, & componere pharmacum, primum adeò nullum insigniter improsperum successum habiturum: quemadmodum ego aliquando feci in quodã uico, ubi neque ipse quod me sequeretur habebam, neque alius ex ijs qui ibidem agebant, copiam mihi facere poterat. Reperi solum ad compositionẽ idoneam æruginẽ & ceram: quibus acceptis, & ad ignem cera liquefacta cum oleo rhodino, ut liquidum ceratum fieret, miscui cerati libræ unciam unam æruginis, hoc est duodecimam partem: statui enim decimam uel duodecimam temperare: suspicatus quidem maiorem, ut acriorem cera futuram, minorem tanquam imbecilliorem. Experiuntibus autem nobis compositionem, uisæ sunt partes decima & duodecima rectè pro corporum differentia commistæ. Ostendimus enim, quod etiam usus attestatur, ualida corpora ualidiora sustinere medicamina, imbecilliora huiusmodi non ferre. Validiora dico corpora, quæ temperamento sicciora sunt, ueluti agricolarum, nautarum, & uenatorum: imbecilliora, molliora, uel natura, uel uictus consuetudine, cuiusmodi sunt mulierum, eunuchorum, puerorum, & qui naturali temperamento sunt humidi, candido molliq; corpore præditi. Dura igitur ex copiosio

piosiore ærugine cerato admixta carnem recipiunt, mollia ex pauciore. Vnde, ut frequenter dictũ est, unũ pharmacum omnibus nequaquam conuenire potest, sed oportet medium esse, ceu ad mediam temperaturam aptatum: ducere uerò ad utranq; eius medij partem, dum quotidiano usu, & experientia probatur: si ut res postulat confectum sit, in eo manere cõsilium est: si paulum deficiat, augere ipsius uires: quemadmodum etiam adimere, cum præter modum efficax sit, uelut in ipso hoc proposito pharmaco, quod cerato & ærugine constat, considerare prius oportet, ulcúsne carne obductum sit, an nondum, sed sordibus humoreq; madeat, uel præter quòd carne impletum non est, erosionis sensus aliquis laboranti ortus sit, & calidior, uel rubicunda magis pars ulcerata apparuerit. Quòd si igitur imbecillius uideatur, melle uel ærugine admixtis potentiam eius augebis: si ualidius, oleum uel rhodinon miscebis, resoluens pharmacũ, quod linamentis excipiendum est. Commodè quidem ceratum & ærugo sic temperantur, quemadmodum à me nonnunquam esse mixta retuli. Conjectura autem medicantibus hæc esto emplastri compositi (uiride à colore uocant) sanantis quidem recentia uulnera, quæcunq; non adeò magna sunt, sed quod ex rhodino simul ad mediocris pharmaci consistentiam potest liquefieri. Quin & resinæ uel colophoniæ, & phryctæ nominatæ, uel terebinthinæ nonnihil ipsum habere oportebit. Ostendimus autem laricem uocatam terebinthinæ quodammodo esse similem. Porrò quantitas earum misturæ & hic coniecturari potest: si enim plus resinæ quàm ex usu sit admisceamus,

donec

donec manibus subigitur molle apparet: in linteolum uerò illitum paulò pòst instar pellis indurescit, facile à corpore decidens: Sin minus æquali portione resinæ cum cera mixtum sit, non habebit hoc quod glutinet, ἐχόκολλον Græcis appellatur, ut pars ulcerata magis extendatur. Liquet autem, si alicui particulæ imposueris, difficulter fore conglutinans, & protinus ab ipsa relabi. Quæ igitur mediocris temperatura, ceu emplastri consistentiæ conueniens? Siquidem mihi fidem adhibes, par utriusque portio: nec cera, nec resina siccitatē uetustatemq́; repræsentet. Optimum siquidem huiusmodi mixtionis temperamentum est, si ambo pinguia & mollia assumantur: si alterum excedat, resinam præpollere satius est: quare nōnulli duplam huius mensuram stactæ ceræ admiscent.

Confectura simplicis emplastri viridis, & virtutis ipsius explicatio.

VIride nonnulli, sic enim ipsi nominant, ex dupla resinæ portione confecerunt: duas quidem eiusdem libras, unam uerò ceræ, & binos olei cyathos immiscētes. Aeruginis autem alij duas, alij tres uncias huiusmodi ceræ & resinæ mixtioni immittunt. Sed etiam in præparatione liquefactis, quæ liquari possunt æruginem inspergunt. Quidam ubi refrigerauerint, mox raserint, in mortario temperaturam moliuntur. Porrò qui medicamentū cruentorum ulcerum glutinantius facere statuūt, æruginem in pila prius cum aceto læuigatā inijciunt, ceratū radentes. Proinde si quis uestrûm roget, quale horū uiridium emplastrorū sit præstantissimū, succurrat id quod

iden

identidem à me prædicatur, omnia esse optima ei, qui affectus quibus singula offeruntur cognoscat: sicut eos ignoranti omnia pessima. Mei etenim officij est dicere, id exiccare euidẽtius, quod acetum pariter assumit. Constat autem, quod plus æruginis continet, id tum ualidum esse, tum magis exiccans, tum sordida ulcera rectius purgare. Finis ipsius est, ut hæc citra erosionem ac morsum efficiat. Nam adeò ualens, ut iam puris ulceribus impositum erosionem pariat, nec ea tandem carne repleat, sed utroq; modo humida sordidaq́; reddat, simile est ijs quæ parum integrè siccant detergentq́;. Iam uerò ex acrioribus cauum magis ulcus euadit, & rubicundius calidiusq́; est, quum æger etiam ipse morsum eius percipit.

Resinarum differentiæ.

Resina strobilina resinarum longe calidissima est: sicut terebinthina ambabus qualitatibus omnium moderatissima. Omnes siquidem calefaciunt & exiccant: sed hæ magis, illæ minus. Validissima igitur est strobilina, moderatissima, ut dixi, terebinthina. Quinetiam siccat celerrimè strobilina, & quæ priuatim pityinon physema dicitur: resina quidem & genere ipsa siccans, & calefaciens: siccando autem à strobilina non superatur: calefaciendo plurimum. Hæ ergo exiccatæ pinguis expertes sunt, ideoq́; emplastra bene adhærentia conficere non habent, ut uiscosæ & liquidæ. Inter pityinon physema, id est, piceam & strobilinam media calore abietina est: liquida tamen diutius perdurat: sicut etiã colophonia thuris redolens, quæ nõnullis sola uocatur colophonia,

nia, odoratu ſuauitatem quandam referens, calore ſicut abietina mediocri prædita, naſcitur admodum modica, atque ob id precioſa eſt. Humidiſsima tamen omnium eſt altera laricis appellatæ differentia: nam hæc quoque duplex eſt: una quidem ſimilis terebinthinæ: altera hac acrior, calidior, magis liquida, & odoratu grauior, tum guſtu amarior. Conditur hæc liquida reſina uaſis fictilibus, piceam reſinam continentibus, conſiſtentia & colore terebinthinæ adamuſsim ſimilis: odore & guſtu diuerſa: ingratior quidẽ olfactu, ſicut etiam acrior & guſtu mordacior. Quare ſatis eſt, terebinthinam omnibus medicamentis, quæ ulcera rectè curabunt, admiſcere: quoniã primus præcipuusq; in eis ſcopus eſt, ut id quod offertur non mordeat.

De frictione metallorum cum aceto ad ſolem.

MEminiſſe uos puto & huius quod toties repeto: fortium medicamentorum, cuiuſmodi eſt ærugo, miſy, chalcitis, ſori, æris ſquama, uel chalcanthum, ex aceto diu contritorum, morſus, ſeu eroſionem obtundi, uires augeri. Quoniam uerò metallica ceu craſsiorum natura partium poteſtatem ſuam in altum uſque corporis, quod curatur, non extendunt, ideo ut tenuiora fiant conterere, & ex aceto ipſa diſſoluere conuenit, quæ turioſè ita attenuata ad penitiora uſque penetrant. Accedit autẽ & aliud quoddam cõmodum in huiuſmodi medicamentorum confectiuris, quod diligenter elaborata corporis meatus nuſquam inter eundũ retenta pertranſeunt, eiusq; gratia ſi calidioris naturæ ſint, ſine morſu munere ſuo

funguntur. Quin & inter humores ipsos in corpore generatos, tenues facilè citra erosionem perspirant: crassiores retenti obstructiq; molestant, ubi mordaces fuerint. Eadem ratio est in metallicis medicamẽtis combustis, sed illa ex ignis commercio nonnihil mordax, seu erodens perseruant, quod elota deponunt, ac lenia prorsus redduntur. Quibus autem simule quippiam ustioni ex frictione cum aceto ad solem facta ignis loco accidit, ea ne quidem ex igne calorem consequũtur: læuigata tamen ex aceto & combusta multo præstantiora fiunt. Hæc sanè multorum medicamentorum communia necessariò cognoscenda sunt: tum usus ipsorum similiter: alius quidem in alijs affectibus: in cauis uerò ulceribus quum linamentis excepta imponuntur.

Olei differentiæ.

OLei sanè nomen unum est, qualitas & facultas diuersa: Nam omphacinum frigidius, ex maturis oleis pressum calidius est: temporis autem processu calefaciendi uim auget: sic etiam quod salem habet, quantum ex illo sumpserit, tanto calidius est, magisq; siccat, quàm quod ipsius expers est. Quod surculos oleæ, θάλλους Græci nominant, continet, ualentius astringit. Indicabit autem utilius & ulceris forma, & corporis ægri natura: ulceris quidem sanandi contrarijs, corporis autem ulcerati similibus. Quapropter medicamentum, quod emmoton futurum est, myrteo liquefacies: quum generata caro flaccidior quàm par est appareat, præsertim ulcere ad cicatricem perueniente propemodum. Nam cum pauxillum quiddam phlegmones in ambientibus particulis

relinq

relinquitur, optimum est pharmacum ex rosaceo liquore. Rosaceum uerò præstantissimum esse nouisti, quod solis rosis pluribus oleo citra salem præparato plenius imbutis confectum est.

De vsu viridium emplastrorum.

QVatenus medicamentum exiccet detergatq́;, cùm ex simplicium facultate, quæ id constituunt, inuenerimus, inde simul dispositionis naturam cui conueniet indipiscemur. Vbi enim humiditas multa & copiosa sordes est, desiccans euidenter purgansq́; medicamentum applicare oportet. Vbi apertū (Græci ἀπερίστατον uocant) ulcus est, carnis indigum, moderatissimum inter exiccantia detergentiaq́; competit. Verùm minoris maiorisq́; in eo rationem ab ægri natura sumere conducit: Siquidem durioribus uel ex temperamēto naturali, uel ætate, uel loco, uel studijs corporibus magis exiccantia exhibenda sunt, humidioribus minus. Quapropter primus cuiusque medicaminis linteolis excepti (ἔμμοτον appellatur) usus ex prædictis nuper scopis coniecturali artificio sumitur: secundus, ut etiam antea monuimus, ex signis in corpore curando apparentibus. Si nanque cauum ulcus citra phlegmonem & purum inueniatur, nihil nouum tentare oportet, si humidius, uel sordidius intendere desiccans detergensq́; pharmacum ratio postulat, si cauum magis quàm prius existit soluere. Intenditur itaque mellis temperatura: mitigatur ex oleo & cerato, uel oleoso quodam, cuiusmodi est rosaceum, myrteū & cyprinum, simpliciter præparata sine spissamentis, σύμματα Græci uocant, quæ addunt odoris gratia, uel ut confecta diu-

tius ab iniurijs immunia permaneant. Iam uerò si conten-tiosus quispiam nos increpet, tanquam præter institutum initio ad medicamentorum usus orationem deducamus, polliciti nos de eorum compositione uerba facturos, ille considerato, quòd in usu etiam confectura quædam fit, silentium sibi imponat. Prima enim pharmacorum, quæ cerato miscentur, in eo confectio est: altera rosaceo, uel myrteo, uel cyprino, uel lentiscino oleo, uel melle appo-sito constat. Atque de his satis.

De viridium emplastrorum commixtione, eorumq́ue quibus constant proportione.

VErùm ad emplastra, quæ iam per experientiam abundè probata sunt transeamus. Hæc igitur An-dromachus memoratu digna medicamenta usurpare ipsa scientibus præscripsit. Vnde cùm talia sint, ea deligenda ueniunt, quæ paucioribus, paratuq; facillimis simplici-bus componuntur, tum quæ ad plura ualent, & propo-sito maximè scopo seruiunt. Res fiet exemplo ita diluci-dior. Finge cauum ulcus apertum in sano corpore: tale uerò ab emplastro uiridi, quod Lite uocatur, liquefacto ex rosaceo curabitur. Appellant autem Liten, quod ex ærugine, cera, & resina cõficitur. Ego sanè, ut ostendi, æquam utriusque portionem misceo, æruginis decimam uel duodecimam, uel octauam. Est uidelicet duodecima si ceræ pondo, & resinæ tantundẽ, æruginis uncias duas temperemus: decima, si duabus æruginis uncijs, uiginti ambarũ resinæ & ceræ, hoc est, utriusq; decem adijcian-tur

tur. Quinetiam si octauam æruginis partem cerato ex cera & resina confecto apponamus, etiam sic bene habebit. Acrius enim magisq; detergens huiusmodi medicamentum erit, non tamen inutile: nam duris corporibus percommodè adhibebitur. Melior euadet compositio, ubi octauam portionem æruginis confecturæ ex cera resináq; immiscuerimus, ærugine pariter aceto quamacerrimo diebus plusculis antè in leuorem redacta. Præstantior erit, si etiam thuris partem dimidio maiorem, quàm fuit in ærugine, indiderimus. Olei pares cyathos æruginis uncijs adiunges, cū sine aceto & thure medicamē cōficias. Quando autem thus acetumq; adijcis, si quidē fricta resina pinguior molliorq; sit, ac æstate pharmacum præparas, miscebis nihil: si uerò dura, idq; per hyemē, cyathum unum infundes. Quòd si liquidam quandam resinam ceræ temperes, oleo prorsus carere licet: liquidissimæ quidem tertiam ceræ portionem, minus liquidæ dimidiam. Porrò fiet huiusmodi quædam compositio: Ceram resinamq; liquidā ubi refrigeraueris, æruginis parti nunc octauæ, nunc decimæ, aliàs duodecimæ commisceto: cognoscens duris corporibus primam temperaturam conuenire, mollibus tertiam, medijs mediam. Aeruginem ex aceto læuigabis: si lenius medicamentū uoles efficere, thuris pondus dimidium eius quod continet adiunges: sin hoc mitius, thus & æruginem æquali modo committes. Atqui resinam cum cera liquefactam sine rasura refrigerantes, æruginí thuriq; in pila ex aceto tritis superfundimus. Hæ igitur primæ compositiones sunt uiridis emplastri, quod cruenta quædam uulnera non adeò magna

glutinat, & reliqua adusque cicatricem sanare potest, & carnem in eis producere, ex humido quodam oleoso liquatum. Voco autem oleosa, rosaceum, quo maximè ad illum quem retuli modum confecto utendum est: statim myrteo, cyprino, & lentiscino. Sed ipsum oleũ, ubi medicamento liquescenti caloris quippiã adijcere cordi est, commune hoc miscebis, in quibus refrigerare studes, id quod omotribes appellatur: ubi astringere, myrteum: ubi mixtæ facultatis aliquod, concoquens puta & repellens, rosaceum: in quibus modicam astringendi uim cum maiore caliditate desideras, cyprinum & lentiscinum. Porrò pleræq; aliæ compositiones erunt, dum medicamentis simplicibus iam cõmemoratis uel incarnãtia, uel emollientia, uel astringentia, uel quæ difficilia ulcera curant, temperantur. Nonnulli uerò digerentia miscuerunt, sicut etiam cicatricem ducentia: alijs quidem omnia cõmiscentibus, uel confecturam inutilem, uel medicamentum uarijs accommodum præparare contigit: quorum materias cognoscentes, tum inuentis iam uti, tum similia componere ipsi potueritis.

Quomodo viridia fiant.

AErugo non modica immittitur, ut & aliorum colorem uincat, & omnia in suum permutet. Porrò conijcere oportet eum qui tale emplastrum confecerit, præter æruginis quantitatem, & colorem illorum quæ ipsi commiscentur, ad hæc coctionis rationem, in simplicibus quidem colores pertinaces obseruare: cuiusmodi flaua & nigra, & rufa medicamenta occupãt. Dico autem flaua & rufa, qualia sunt melitites, chalcis combu-

stã,

sta, auripigmentum, sandaraca. Nigra uerò, quod genus sunt pix, bitumen, terra ampelitis, lapis gagates. At inter coquendum non oportet æruginem super ignem coeuntibus committere: uerùm ubi in mortario unitas facta est admiscere, si colore uiride medicamentum permanere desideras: sin autem melinum uoles emplastrum cōficere, intelligito in coctione æruginem primum in hunc colorem perducendam, postea in rufum, ut emplastrum, quod bicolor, Græcè διχρωμον appellāt, euadat. Etenim à coctionis tempore paucis diebus pòst, in summo quidē fuscū magis redditur, in imo rufum simul apparet. Quoniam uerò de ipsorum colore abunde satis diximus, rursus ad facultatis sermonem reuertemur, memores unde primum hoc in libro exordiū sumpserimus. Egimus autem in eo, nisi me fallat memoria, de medicamentis carnem generantibus: quorum potestatis scopus est, ut mediocriter & sine morsu detergāt exiccentq́;. At speciales confecturæ pro diuersa simplicium pharmacorū materiæ differunt. Cæterum nemo ignorat, ea quæ propriè & primariò σαρκωτικὰ nominantur, aperta ulcera carne implere, hoc est, quæ caua quidē sunt, non tamen sordes, aut inflammationem coniunctam habent: insuper nec prauorum humorum influxionem, neq; carnem in cauo ulcere intemperatam. Nam prædictorum aliquo cauitati imposito prius illud curandum est. Consilia curationis ipsorum sunt, sordidis detergentia pharmaca adhibere, profluentibus exiccantia, atque id quod influit repellentia. At si copiosum & contumax existat, fluoris causa prius amputāda est. Constat autē inflāmatis phlegmonē

ſanandam eſſe, carnem intemperatam ad temperiem redu cendam. Porrò intemperatæ iam factæ, quatuor ſanè mo dis ſimplicibus, quatuor item compoſitis, per contrarias qualitates ſuccurretur. Sed de his poſtea: nunc autem de medicamentis uehementer detergentibus agemus.

De pharmacis valde abſtergentibus.

QVòd hæc ex prædictorũ genere ſunt, quæ ob moderatam deterſionem cauis ulceribus puris, apertis ſine omni morſu admouebantur, antea comprehendimus. Intenſam uerò detergendi uirtutem obtinent, quæ copioſas ſordes auferunt. Quare nonnulla ex prædictis uiridibus medicamentis una re ſolũ, nempe æruginis copia, ab ijs quæ ſimpliciter carnem producunt, euariant. Quædam & aliorum inſigniter detergentium miſtura, ſicuti uocatum Iſis, & Machærionis emplaſtrum, quod nos pro more uſurpamus: oleoſum ex uſu nuncupant. Vbi enim ſinũ implere proponimus, copioſiore oleo iam liquefaciẽtes, per cornu rectum modo clyſteris porcinæ ueſicæ cõiuncti ipſum infundimus. Quin & piulcis, hoc eſt, pus trahentibus, in eo utimur. Etenim inter clyſteres etiam, quibus latius foramen eſt, ad huiuſmodi adminiſtrationem commodi ſunt. Cui uerò non eſt perſpicuum, ſinus oppletos ſordibus, ex meraciore hoc medica mento purgari, id eſt, oleo pauciore adhibito? rurſus pu riores effici ex humẽte magis olei uberioris tẽperatura? Itaq; ſi paruæ adhuc phlegmones ſinũ infeſtãtis ſuſpicio quædã exiſtat, medicamẽtũ ex roſaceo prorſus liquefiat: Sin à phlegmone fuerit liber, ex oleo: et ſi citra eroſionẽ

ueteris misturam sustinuerit, illo pharmacum liquatur. Cæterum in huiusmodi usum non solū hoc, sed Machærionis quoque emplastrum & Isis, tum alia faciunt, quæ maiores nostri perscripsere, cerato mixta, cauis ulceribus carnem inducere. Omnia nanq; huius notæ sine cerati mistura ex oleo & rosaceo liquefacta sinibus immittuntur, eò quòd consistentia, quæ linamento excipitur, emmoton uocant, sinibus illini non potest. Pari modo & medicamentum siccum, quod combusta charta constat, rosaceo copiosiore diluentes, ipsis infundimus. Quemadmodum uerò sinus liquidioribus pharmacis indigent, dum craßiora imponi nequeunt, ita quæ in summo caua ulcera affligunt craßius medicamentum desiderant, hac uidelicet occasione, quòd liquida statim ab eis decidunt, & linamēta sicca relinquuntur. Merito igitur in id genus uitijs ceratum ualidè abstergentibus admiscemus: in sinibus oleum, uel rosacei plurimum. Atqui hæc in eum modum abstergentia pharmaca omnino etiam digerunt, ideoq; uehemēter exiccant, ac commune quoddam ipsorum genus efficitur, quod Græci πολύχρηστον appellant. Accedunt huic generi emplastra euidenter acria, qualia sunt δι' ἁλῶν, quæ non offerenda sunt, ubi carnē quampiam progignere cogitamus. Nam præter alia hoc quoque sal eximium habet, ut astringat magis quàm purget: siccare uerò nihilominus quàm nitrum, ac eius spuma potest. Sed illa astringendi facultatem non agnoscunt, sicut nec Asiæ petræ flos. Atque huius rei gratia discutere, & ceratis admixta ulcerum sordes tollere nata sunt: Sal propter astringendi potestatem hoc efficere non potest.

Proinde cum hæc in memoria habeatis, & methodum compositionis, usuśq; omniũ eiusmodi medicamentorum audiueritis, deinceps illa, quæ à clarißimis medicis propter optimorum medicaminũ cognitionem usu atque experimentis cõperta sunt, enumerabo. Primum sanè Mantiæ, atque eius discipuli Taranthini Heraclidis sectatorũ permulta pharmaca, que subsequentibus annis per experientiam probantes distinxerunt, & præstantißima ipsorum denuò literis mandarunt: quæ uerò minus efficaciæ habere uidebantur omiserunt. Iure igitur & ego maiorem facio mentionem eorum qui illis successerunt. Sunt autem inter hos, qui in medicaminũ experientia rectißimè se geßisse uidentur, Petronius Musa, Heras, Andromachus, Asclepiades, & Criton. Iam uerò Archigenis & Philippi studiosi non pauca medicamenta prodidere. Quinetiã liber unus est Menecratis, cui nomẽ inditum est, Insigniũ pharmacorũ αὐτοκράτωρ ὁλογράμματος, id est quasi dicas, Imperator (nam ei dicatus est) integris literis descriptis. Quæ ergo pulcherrima ipsis tradita sunt medicamina, & cõmendantur, quorumq́; nos inter omnia relata experientiã habemus, & quibus præceptores nostri usi sunt: ad hæc, si quod nobis inuentũ sit, deinceps adducã, quo singula genere cõtineantur exponens. Nunc autẽ uiridibus relatis melina protinus subiungam.

Melina emplastra.

QVemadmodum uiridium emplastrorum plurima propter æruginem præpollentem talia fiunt, præsertim quæ sunt ex ipsis coloratiora, ita quoque melina. Sed uiridia æruginem incoctam habent, melina uerò co-

ctam,

ctam, sed mediocriter: Nam si largius coquas, ambigui coloris emplastra quibusdam appellata, quibusdã rufa, efficies. Solent medici uiridia simpliciter melina, & rufa nominare, quæ non adeò magna uulnera glutinant, & ulceribus cicatricem obducunt: quæ mos est medicis appellare ἀπουλωτικά, quasi dicas aperta. Item ex rosaceo liquefacta cauis carnem gignunt. Multiplicis usus sunt inter ea, quæ plura pollicentur. Quædam multa non promittunt, sed unum mentione dignum, uidelicet uel ulcera cacoëthe bene curare, uel pus digerere, uel meliceridas, uel duritias emollire, uel huiusmodi quid non contẽnendum, aut curatu facile. Andromachus itaque quatuordecim melina conscripsit: ex quorum numero quinq; æruginem habent, reliqua sine hac confecta sunt. Porrò ex his quæ ærugine constant, unũ quidem primũ inter quatuordecim positũ est: alterũ uerò quartũ, post hoc aliud sextum, inde septimum & decimum. Quibus ergo nihil eximij apposuit, omnia simul & conglutinant ulcera, & cicatricẽ inducunt. Quòd si ex rosaceo liquefeceris, carnem procreãt. Quin & mediocribus phlegmonis medẽtur, sicut etiã duritias emolliunt: atq; hoc euidẽtius, quæ guttã ammoniaci cõtinẽt. His adhuc magis, quæ copiosiorem q̃ pro reliquorũ portione æstimetur, eã aßũpserũt: in quibusdã uerò apposuit ipse tenerũ, hoc est, teneræ cuti cõueniens: cui præfixit ἀνωδύνον, & διαπνευστικόν, innuit membrorũ doloribus synanchæ & lateri benefacere, uel interiores abscessus discutere magis quoddam testimonium his adferens, quàm simplici sermone scriptis. Igitur omnia ipsa deinceps subijciam: Melina diuersa promittunt.

Argenti

Argenti spumam, ac oleum coquito, cum inalterata sunt, ammoniacum, deinde ceram, postquam deposueris cacabum, galbanum, æruginem, & reliqua addito, atque molliter incoquito. Huiusmodi coquendi modos melinorum emplastrorũ me priores tradidere, iuxta quorum similitudinem etiam alia melina coquere potueritis.

In Melino Serapionis, Argẽti spumam sanè primum inijcere conuenit, mox resinas & ammoniacum, deinde galbanum & æruginem, postea si uel thus, uel myrrhã, uel aloën capiat: hæc immittenda sunt, cum medicamentum ab igne tollitur: quippe coctionem non ferentia. Prædiximus autem, lentè coquenda esse, præsertim cum ærugo indita fuerit: quin & ipsam miscendam, dum cacabum in terram deponis, ac modicè refrigerabis, idq; magis, si uas paruum sit in quo coquitur: Nam effervescenti immissa ærugo, frequenter ex ipso uase diffundi medicamentum cogit. Porrò in Menœti primo melino, πύκτικον uocat, ideo quòd pugiles eo utantur, ammoniacum ex aceto læue in mortario fieri posse, alijs omnibus in cacabo mixtis, deinde ipso affuso, prius instituti sumus.

In Melinis emplastris dixi neque æruginem crudam esse oportere, ut in uiridibus, neque nimis coctam, sicut in his quæ incerti coloris & rufa nominantur. Verùm ubi iam cacabus ab igne auferendus propemodum est, inijci ærugo debet. Deinde cum mutet colorem, & melinum redditur, medicamentum tollere iam ab igne tempus est, quatenus purum iam euaserit. Sin minus, paululum super ignem lentum remorati sic tollemus. Nam in uehe=

uehementi admodum flamma facilè in rufum degenerat.

De rufis emplastris quæ δίχρωμα, id est, incerti coloris dicuntur.

QVædam ex eadem materia prodeunt qua melina, sicut prius quoque diximus, hoc solo discrimine, quòd diutius coquantur: Omnia siquidem propter crudam æruginem uiridia fiunt melina, ubi mediocriter ipsa cocta fuerit: rufa, ubi liberalius. Manifestum igitur, melina rufaq; oleum copiosius quàm uiridia necessariò habere: etsi reliqua omnia eadem recipiant. Atque huius gratia primum spuma argenti cacabo inijcienda est, in quo tantisper coquetur, dum sordium craßitudinem consequatur: mox ærugo. deinde si metallicum aliquod, ceu æs combustum, eiusq; squama immittatur: ac quando spißitudinem acceperint, tunc ceram & resinam (si hæc etiam medicamentum recipiat) indere conueniet: postremo thus, myrrham, aloën, aliaq; id genus. sicut celeberrimum rufum, quod διὰ δικτάμου uocatur, sacrum & ipsum appellatum: uelut Isis, quoniam aiunt ea ex sacris Aegypti locis adferri: polychreston igitur hoc est, quod interpreteris licet, usus multiplicis, eoq; in sequenti sermone inter ea quæ sic nominantur adnumerabitur. Impræsentiarum de alijs rufis omnino simplicibus, quæ inter hæc & polychresta consistunt, uerba facturi sumus. Vt igitur uiridia emplastra ex cera, resina, oleo, & ærugine conficiebantur, iuxta dictam illic temperaturã, sic rufa ex argẽti spuma, & oleo copiosiore quàm in uiridibus sumpto componuntur. Itaq; si emplastrum lar

[margin: διὰ δικτάμου. Isis.]

largius uoles coquere, augeasq́; oleũ, medicamen habiturus es quod magis siccet, ideoq́; uulnerũ cruentorũ glutinãtius: sin autẽ mediocriter, tantũ olei mẽsuram, quantũ argẽti spumæ põdus esse sufficit: libram enim olei mensuralẽ Romanorũ in argẽti spumæ librã ponderalẽ inijciemus. Iã si pharmacũ plenius incoquere placet, nõ unã libram s, sed etiam duas & plures temperabimus. Porrò inter hæc rufa emplastra sic præparata, plus siccant quæ nec resinam, nec ceram omnino habent, sed ex solis, ut uocãt, metallicis conficiuntur: quemadmodum alij quoque nonnulli ex prioribus huiusmodi scripserunt.

Rufum Galeni.

Cæterũ quo ego semper mea industria cõposito utor in hunc modũ coquitur: Argẽti spumæ cũ oleo prius coctæ metallica ex aceto læuigata immitto, & sic coquo, donec purũ fiat. Addo his olei libras quatuor. hoc aũt quanto uetustius, tãto erit melius: magisq́;, si id fuerit Sabinũ. argenteæ spumæ libras tres, aceti quàmacerrimi libras duas. Horũ triũ metallicorũ, squamæ æris nigri, ærugi-nis, chalcitidis uncias duas, hoc est, denariũ põdo sedecim. At quum uetus oleũ existit, crassumq́; ex uetustate, quatuor libras s immittito. nos quinq; interim, idq́; per hyemẽ indidimus, non ignari, hyeme plus olei quàm per æstatẽ immiscendũ. At argenti spumã prius uidelicet coques, donec sordiũ craßitudinẽ recipiat. Quòd si oleũ cicinũ habeas, id pro uetere usurpato, certe medicamentũ hoc cruẽta uulnera facilè glutinat, magisq́; in duris corporibus q̃ mollibus, cuiusmodi sunt mulierum & eunuchorũ, dilutũ potius ex oleo cicino quàm ueteri. Itẽ quũ linteo

linteo exceptum imponitur, mirũ est quàm ulcera curatu difficillima cõcoquat, quæ pus nequaquã reddũt. Ad hæc sinus cõglutinat, & fistulas implet, exiccat, & prorsus claudit. Vbi iam ipsum hæc pulchrè uelis efficere, metallica pluribus diebus aceto lõgè acerrimo conterito, ac potius in sole: pari modo argenti spumã tritam exiccatamq;, & oleo postea mixtã, eo quo dixi modo incoquito. Attamen ad ulcera, quibus cicatrix difficulter induci potest, metallica sic elaborari, & argẽti spumã cõterere nõ est necessum. Etenim sine his ἐπουλωτικώτερον, quasi dicas, cicatrici ducẽdæ prõptius illud euadit. Adijciatur autẽ tunc ei diphrygis & chrysocollæ singulorũ uncia. at hæc nõ simul cũ squama & ærugine cõmittuntur, uti nec ubi iã coctũ medicamentũ fuerit omnino, sed eo quod intercedit tẽpore. Tantã enim huiusmodi pharmaca coctionẽ requirũt, ut exactè cum prioribus in unũ coẽãt: quod mediocri interuallo accidit, neq; multo antè, nec paulò minus q̃ cacabus ab igne tollatur. Solum itaq; hoc emplastrũ fistulas, sinus, & magna uulnera glutinare potest. Iuuat ipsum spõgia recẽs, nõ dura, ueteri uino respersa. Deligatura in sinib. ab imo fiat, ligamẽto ad orificiũ perueniente, sicut in sermone de fistulis clarius ostendetur.

De iis quæ cicatricem obducunt.

EMplastra cicatricẽ inducentia, siue synulotica, siue epulotica nominare uelis, sicut etiã alia medicamẽta epipasta, & quæ linamentorum usu apponuntur, nihil ad curationes eorũ differẽtiæ adferet, si qualis quodq; facultatis medicamẽtũ esse debet memineris: quam simul cũ reliquis omnibus in Therap. lib. explicauimus. Quanto

enim

enim glutinantia ſarcoticis ſiccare magis dicta ſunt, tanto glutinantibus epulotica. Nam ipſorum beneficio carnem cauis ulceribus generatam, cutem reddere ſtatuimus: ob quod tale pharmacorum genus, ſiue ἐπίχριστον, ſiue ἐπίστατον ſit, aſtringere oportet. Hic autem illorum duntaxat emplaſtrorum mentionem facere cogitamus: ſiquidem ea quæ linamentis excepta imponuntur pharmaca, ex his roſaceo uel myrteo liquatis fiunt. Atque myrteum roſaceo hoc magis conducit, quo uehementius aſtringit: at ſi neutrum habeas, ex cyprino, lentiſcino, & melino liquanda ſunt: ſi his quoque careas, ex omphacino, uel eo quod ab Hiſpania portatur, σπανὸν Græci nominant: ubi nec huius copia adſit, teneros oliuarum ſurculos contuſos, alij cuipiam uulgari oleo admiſcebis: quòd ſi hos etiam deſideres, præſtat oleo uetere liquefacere: hinc enim medicamentum ſiccandi uirtute augebis. Proinde pleriq; medicorum à pharmacis, quæ optimi quiq; auctores longi temporis experientia ſatis probarunt, eoq; nobilia reddiderunt, hac ratione ſolum abſtinent, ut ipſi melius quippiam præter maiores habere uiderentur. Attamen ex medicamentis celebribus cognoſcenda ſunt quæ commendantur omnibus, nempe quod διὰ καδμίας, & διὰ λαδάνου inſcribitur, ad cicatricem ducendam utrunque præſtantiſſimum. Quanquam apud omnes mixturæ ſimplicium temperaturam eandem non ſit inuenire.

De catagmaticis & cephalicis emplaſtris.

QVi plurima ac optima pharmaca prodiderunt (antea omnes nominatim citauimus) genus aliquod em-

plaſtro

plaſtrorum cephalicum & catagmaticum uocant, à calvariæ fracturis potißimum nomen eis imponentes. Sunt autem talia aſtringendi, digerendi, & ſiccandi poteſtate prædita. Plerique paululum ex aſtringentibus pharmacis eis admiſcuerunt, idq́; duplicis uſus gratia, ſicut diximus: nempe ut id quod affectis partibus influit repelleretur, & abſtergentium facultas in altum uſque penetret: docuimus nos antea, niſi aſtringentia frictione in pulverem redigantur, noxam magis quàm præſidium allatura ijs, qui trahendi uim occupant. At optimè elaborari oſtendimus, ſi ex aceto acri læuia fiant.

De emplaſtris quæ propriè Cephalica nominantur.

CApitis fracturarum, quæ ad laminam uſque peruenere, emplaſtra cephalica dici conſuerunt. Eorum uirtus eſt, ut oßium ſquamas regenerent, nutrimenta in caluaria, & alijs corporis oßibus reducant. Nonnulli communi genere hæc etiam uocant catagmatica, quibus propriè nuncupatis fortiora ſunt. Siquidem catagmatica ab eis dicta, purgandi ſiccandiq́; facultatẽ habent: hæc autem acrimoniam quandam ſortita ſunt, ut ex alto in ſuperficiem extimam non oſſa modò, ſed his multo magis humorem craſſum aliquem & uiſcoſum, uel omnino deprauatum extrahãt. Meminit huiuſmodi emplaſtrorum Aſclepiades in tertio libro de exteriorum medicamentis, quæ ſanè in quarto huius operis libro tractamus. Quoniam uerò ad cacoëthe ulcera, & chironia quædam ipſorum conuenire dixit, tum quod ad Deleontem auctorem

refert cephalicum, tum ex nigro uiride cephalicum, tum Philoti cephalicum, tum Isin, quod & ipsum simul cephalicum appellat, aliaq; nonnulla huiusmodi, quæ huc pertinere putandum, ideo nunc quoque ipsa non apposui, sed ad catagmatica & cephalica ab alijs medicis memoriæ mandata transgrediar, ubi generalem utriusque potentiam exposuerim. Quæ uero & antea in hoc libro protulimus, tum in opere de simplicium medicamentorum facultate in memoriam reducentes cognoscere uos expedit, cephalica nempe catagmaticis esse nobiliora, eoq; cum cerato carnem producere. Quapropter & sarcoticis alio quodam modo similia sunt. Nam ubi ex cerato uim remiserint, sarcotica fiunt, quæ linamentis excipiuntur: adiecto uidelicet interim oleo, aliâs rosaceo, nonnunquam alio quodam huiusmodi.

De emplastris glutinantibus.

QVidam hæc ἔναιμα & τραυματικὰ nuncupãt. Opus eorum est, coniungere, & diuisas partes conglutinare, ut in pristinam unitatem particula reducatur. Verum non modò cruenta protinus glutinantur, ubi sanguinem ex diuisione profluentem adhuc spongia deterserimus, deinde suturis, aut fibulis coarctauerimus, sed etiam sinus ueteres, cum ab omni inflammatione immunes, & puros medicamentis appositis effecerimus, cõmittuntur, coëuntq;. dictum est in Therapeutices libris, medicamentum primariò, atque ex sese, sordis detersorium appellari: altero significatu sarcoticon, id est carnem producens & glutinans. Non enim tanquam ipsum sarcoticon, aut uniens, neque tanquam hæc naturæ solius opera non sint,

sed

ſed quòd talibus impoſitis medicamentis ulcera carne re=plentur ac coëunt, appellationem hanc ſortita ſunt. Opus ipſorum proprium eſt, affectam partem recrementis ua=cuare, ne uidelicet ſanies carnis generationem, glutinatio nemq́; impediat. Indicatum eſt, glutinatoria ſarcoticis eſſe ſicciora: item ſarcotica detergendi uim omnis roſio=nis ſeu morſus expertem referre. Glutinantibus autem non abſterſorijs prorſus, uerum deſiccantibus ſolum eſ=ſe licet. At cum cicatricem ducentia pharmaca multò his (præter quàm quòd abundè aſtringunt) ſicciora ſint, ſta tuamus demum & quæ glutinant, & quæ coniungunt, moderatius iſtis exiccare. Finis autem glutinantium eſt, nullam inter coitura ſubnaſcentem humiditatem permit=tere: epuloticorum uerò non hanc tantum impedire, ſed etiam nunc conſiſtentem in ijs quæ mox cicatricem du=cent, conſumere: ad hæc callo obducere, & aſtringen=do indurare. Sarcotica ſanguinem ad refectionem ido=neum, tum pro quantitate, tum pro qualitate tuentur: ac tantum talemq́;, quanto natura & quali ad carnis gene=rationem indiget. Cæterum leniſſimum medicamen pu=rum ulcus ſeruat, ſiquidem tale acceperit: ſordidum uerò neceſſe eſt illud tantum pro ſua ipſius poteſtate deterge=re, quantum craſſitudinis ſordes habuerit: quinetiam car nem recens iunctam mordere & exedere debebit. Vnde palàm colligitur id, cum tale exiſtat ulceri carnem non eſſe inducturum, nec cauitatem repleturum, ſed quòd po tius ipſa colliquabit, imminuetq́;. Atque huius rei cauſa medicamentum quod ſordibus copioſis repurgandis eſt, quo de antea dixi, non ſemper carnẽ poteſt gignere, niſi

uel ex uberiore oleo, uel rosaceo liquatum, sicut quo
ἐλαιῶδες & διὰ χάρτου inscribitur, detersionis uehe-
mentiam remittat, uel ex cerati mistura rosionem depo-
nat. Huiusmodi multa multiplicis usus uires ostendunt:
quemadmodum Machærionis emplastrum, tum Isis. Sco-
pus igitur singulorum id genus in Therapeuticæ libri
declaratus est: simplex facultatum materia in alio oper
priori composita, in præsenti tractatur. At primum i
eo meminisse oportet naturæ corporum, quæ curanda s
sceperis. Nam humida, eoq; mollia, quemadmodum mu
lierum, puerorum, eunuchorum, & qui muliebriter de
gunt, imbecillioribus medicamentis indigent: uirorum
corpora, potißimum qui ex uirilibus munijs & sole du
rum corporis habitum conciliarunt, ab imbecillibus ni
hil præsidij sentiunt. Quapropter nec glutinantia utri
usque sexus corporum communia sunt, sed quæ ex ar
genti spuma, oleo, & aceto præparantur (in priore li
bro de ipsis egimus) imbecillam mollemq; carnem gluti-
nant. Quæ bitumine, ærugine, squama, aloë, & myrrh
constant, robustam & duram. Itaque bitumen ipsum pe
se in harum uirtutum scopo continetur: at nulla ration
solum ex oleo liquatum usurpare poteris, ut quod fria-
bilius sit, quàm medicamento emplastrodi faciendo con-
ueniat. Vt igitur emplastrum fiat, ceram & resinam e
admiscemus, à quibus denuò uirtutẽ eius solutam iri sciẽ-
tes, interdum æs, uel eius squamam, sæpe aloën, uel myr-
rham, uel in summa siccans aliquod medicamentum no
inepte adijcimus.

Nigrum

Nigrum EMPLASTRVM quod inter glutinantia recensetur, hæc recipit: Ceræ, picis, bituminis, pityinæ, singulorum pondo libram, mannæ pondo uncias sex, cerussæ pondo uncias quatuor, chalcanthi pondo uncias quatuor, opopanacis pondo uncias duas, olei semunciã, alij selibram, aceti heminas duas. Ceram, bitumen, oleũ, acetum paululum relinquens in olla recenti liquato: deinde picem & resinam adijcito: in minima frusta diligenter concidito. Vbi semucoctum fuerit, tollito ollam, & aliquandiu refrigerato: inde atramentum sutorium percolatum, læuigatumq́; ex duabus aceti heminis paulatim inspergito, ne efferuescat: effusum leuiter suburito mouens: cum tactum non inquinat, cacabum deponito: opopanacem antea in reliqui aceti parte madefactum infundito, ut dissoluatur: mox cerussam, mannam unà pariter trita inspergito: & paululum tepefaciens, ut in unum coëant, obserua, ne opopanax & manna adurantur: refusa in mortarium, ibi refrigerari sinito: ac rursus subacta reponito, atque utitor. Porrò manifestum est, etiam alia barbara, quæ tum Andromachus, tum reliqui tradiderunt, eodem modo confici oportere. Quidam opopanacem cacabo non inijciunt, sed læui ex aceto facto liquata in mortario superfundunt. Cum eo nonnulli miscent mannam, & cerussam, quemadmodum ego quoque sæpius feci, in mortario terens ex aceto, & quæ liquari possunt, liquefaciens. Subinde uerò atramentum sutorium duntaxat cum opopanace læue factum cacabo indidi, mannam cerussamq́; inspergens.

Emplastrum nigrum.

Coctionis modus.

E tertio libro Galeni

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM ΚΑΤΑ ΓΕΝΗ.

Quis cõmunis uulneratorum neruorum curationis modus, & quæ medicamenta specialia.

Præceptorũ Galeni error in neruorum curatione.



PECTAVIMVS *omnes præceptores nostros præsidio, quod iam recentiores medici* ἐναιμον *& glutinatorium appellare solent, uti. Nam initio medicamentum aliquod ex enæmis imponentes, uulneris oras committere seu glutinare moliebantur. Si uerò phlegmone eas obsederat, calida aqua liberaliter fouebant, ac triticeam farinam ex hydrelæo decoctam, cum oleo applicabant. Quare etiam gladiatores in patella uulneratos, supraq; hanc in lato tenuiq; tendine, pari modo ab ipsis curatos uidi: forsan melius dicas non curatos, sed perditos: paucißimi enim illorum, & ij claudi superuixerunt. Quid: quod permultos in manu summa tendones, per quos digiti flectuntur extendunturq;, uel contusos, uel minimo puncto læsos, putrescentes adeò conspexi, ut coctis diutius in aqua similes apparerẽt. Non enim secus exoluuntur*

tur & substantia emollescunt superiorem sanandi modum experti, ut quo uulneratam partem ueluti putrefieri perceperim. Quoniam uerò omnia ex humiditate & calore putrescere cognoscebam, curationem per siccantia refrigerantiaq; moliendam esse deprehendi. Rursum apud me contemplatus, frigidum ferè ab Hippocrate neruis inimicum dici, optimum fore neruorum uulneribus medicamentum intellexi, quod & siccaret, & caloris frigorisq; particeps esset, uel parum ab horũ medio ad calorem recederet: calidum tamen esse satis posse, modò siccandi potestate polleat. Etenim calor citra humiditatem putrefacere nihil habet. Insuper illud quoque præmeditatus, multum referre, nudæ parti affectæ medicamentum offeras, an per alia corpora ei præposita, conuenire aduerti alijs in nudato neruo uti pharmacis, alijs cum punctus fuerit, partibus, quæ ipsi præiacent, illæsis. Vbi etenim nudo neruo medicamentum adferas, ibi prædictam auxiliorum integram indicationem assumi ratio est. Præpositis autem partibus saluis, tenuius pharmacum inueniendum est, cuius uirtus interiacentes particulas permeando non dissoluatur, sed in altum penetret. Quod efficere tale pharmacum potest, si ualidè siccet: & si nõ calore & frigiditate medium sit ac symmetron: non offendere, dum efficacia ipsius calefaciendi uel refrigerandi in particulis, quæ neruoso corpori præpositæ sunt penetrandis imbecillior est reddita. Atqui inuento iam præsidiorum scopo, quàm uidelicet tenuia esse conueniat, deinceps materiæ mentionem facere oportet. Plurima igitur quæ calefaciunt tenuiorum esse partium, Enumerat tenuiũ partiũ medicamenta.

permulta rursus quæ refrigerant craßiorum, in simplicium medicamentorum speculatione didicimus: quippe una solum qualitas acris cum tenui substantia nonnunquam ipsis accidit, eoq; inter omnia, quæ refrigerandi uim obtinent, tenuiorum partium acetum est quam acerrimum, quod etiam caloris modici particeps esse demonstrauimus: calefacientium uerò liquores probi tenuißimam habent substantiam: & apud omnes iam homines Cyrenæus primas tenere cognoscitur, quo non præsente etiam medico utimur: & ijs quæ cum ipsis ab orientalibus plagis afferuntur: cuiusmodi est, quod Sagapenum appellamus. Hoc genere comprehenditur & liquor euphorbij iuxta occiduas orbis regiones natus, siue liquorem ipsum, siue aliud quid nominare uelis, nobis in præsenti commentario euphorbium hoc medicamentum uocare sufficit, quemadmodũ iam omnes consuerũt. Quinimò in nostra regiõe prouenietes, & panacis, & tithymalorum liquores subtili facultate præditi sunt, & quidem omnes nominati liquores generosi calefaciunt, opobalsami uerò subtilis, & ipse non admodum calefacit. Atque ex terrestribus nitri spuma tenuem substantiam habet, item quod ex aqua facile soluitur aphronitrum, si ad corpora terrestria uidelicet relationem fieri inaudiamus. Subsequitur nitrum nomine beroniceum, & asia petra, cuius flos etiam omniũ terrestrium est subtilißimus. Porrò ex metallis auripigmentum, & sulphur, tum subtilia, tum calida sunt: quibus succedit misy, æris squama, & chalcitis, paululum simul astringentia. Quare usta quoque chalcitide freqũẽter in subtiliorum medicamentorum

torum compositionibus utimur. Citra calorem uerò manifestum tenuis essentiæ metallica sunt, spodium, & pompholyx: adde quod uocatur psoricum: subtilis abūdè est & chrysocolla. Cæterum inter succos laurinum simul cum eo quod calefaciendi uirtute ualida pollet, quæ sensibus percipi queat, tenuem esse didicimus. Nihil enim minus eo cedrinus excalfacit, calore tamē qui sensibus subijcitur, propter substantiæ tenuitatem, illi cedit. Huius generis est lixiuia, quæ stacte dicitur: atque hanc ipsam, quæ ex materia subtili usta fit, cedrinum oleum uirtute superat. Ex malo igitur & ficu, eaq́; magis agresti, quā ἐρινεόν Græci uocant, item ex tithymalis combustis, huiusmodi lixiuiam conficimus. Præstantißimus est ex tithymalis, qui χαρακίας nuncupatur. Cæterum ex seminibus frumētarijs, σίτηρα nominānt, subtilißimus est eruus sine insigni calefaciendi potestate: lolium uerò cum insigni: hordeum nequaquam calfacit. Mediam interea materiam obtinent, qualitatibus amara, quæ multum tenuibus substantia cedūt, craßi licet nihil habētia. Nonnulla ipsorum à medijs tantillum declinarunt: alia ad calorem, alia ad frigiditatem: quarum omnium materias in opere de simplicibus medicamentis executus sum: quemadmodum etiam omnium fructuum (Græcis ἀκρόδρυα dicuntur) in quorum numero sunt amygdalæ amaræ, & pistacia: at stirpium materiæ in præsentia non memini: redire enim ad principium cogito, atque exponere, quando, quoq́; modo singula per rationem nobis inuenta usurpauerimus. Hinc enim puto bonæ indolis iuuenes incitatum iri, ut medicamentorum materiam cognoscant,

ipſimet inſpiciẽtes, non ſemel aut bis, ſed frequẽter: quoniam ſenſibilium rerum cognitio ſedula inſpectione confirmatur: cuius rei indicium eſt euidentiſsimum, quòd didymi per omnia ſimiles eſſe nobis uiſi ſint, differentes autem iis, qui ipſos inſpicere conſueuerant. Itaq; herbarum, fruticum, & arborum materiam priuſquam è terra eximantur, contemplari pulcherrimum eſt, dum fructus uidelicet futuri ſunt, dum æduntur, dum augeſcunt, & dum uigent. Hæc ſiquidem cõtinua ſpeculatio docebit te, quando potiſsimum ipſos commodè decerpas, ac in ſiccis domunculis repoſitos cuſtodias, ne à ſolis radiis exurantur, neq; ab humiditate ex tecto uel muris madefiant: id optimè fiet, ſi domus neque ſubterraneæ ſint, neque aliis uicinæ, neque ſub tegulis, ſed oſtia ad meridiem ſpectantia habeant, prope quæ tamen medicamenta reponi non debent. Amici hic quoque uos admoneo, ut me ſequamini, ſi artis opera pulchrè obire uolueritis: nouiſtis enim, quomodo ex omni natione præſtantiſsima quotannis medicamenta mihi adferantur, eò quòd perditi illi omnigenarum rerum coëmptores uariis modis ea contaminant. Præſtiterat forſan non hos ſolum, ſed multò magis etiam mercatores, qui illa aduehunt, incuſare, atque his multò magis ipſos herbarios: item nihil minus eos, qui radicũ liquores, ſuccos, fructus, flores, & germina extra anni tempus in urbes conferunt: hi ſiquidẽ omnium primi in eis dolum exercẽt. Quiſquis igitur auxiliorum undique copiam habere uolet, omnis ſtirpium materiæ, animalium, metallorum, tum aliorum terreſtrium corporum quæ ad medicinæ uſum ducimus, expertus eſto, ut

ex eis

ex eis & exacta, & notha cognoscat: deinde in cōmentario meo, quem de simplicium medicamentorum uirtute prodidimus, sese exerceat. Nisi enim hoc modo instructus ad præsentis operis præsidia ueniat, uerbotenus quidem medendi modum sciet, opus uerò nullū ipsa dignum perficiet. Finge nanque ipsa, quæ de neruorum uulneribus prædixi, quædā te cognoscere: adulterata uerò medicamēta per ignorantiam compositioni inijcere, uel neque omnino exactè facultates ipsorum intelligere, an nō erit necessarium, frequentius hic te errare, quàm rectè agere? Mihi quidem admodum uidetur. Iam uerò ad plenum uirtutes cognoscere ab eo multum differt, quod est cognoscere. Etenim solum cognoscere scire est, an medicamentum siccare, uel humectare, uel refrigerare, uel calefacere nos poßit: accuratè uerò cognoscere, præter hoc etiam uirtutis quantitatem sciuisse est. Quædam enim pharmaca calorem tepidum generant, corporibus nostris admota: quædā moderatum, quemadmodum alia hoc paulò ualidiorem, nonnulla iam sic feruentem, ut urere poßint. Conuenit igitur, medicum non modò affectus qualitatem, sed etiam ipsius quantitatem, ut ita dicam, coniecturare: nam haud ita propriè quantitas in qualitate dicitur, quanquam dicatur tamen, ut febris magna & parua: ac tantus usus est eorum quæ sic dicuntur, ut iam proprij uim obtineant ipsa, perinde ac pyxis, æs, pictor, quercus incisor: in totum, quæ ex grammaticorum, ut aiunt, abusu incepe runt: deinde uerò propria dici credita sunt. Hæc quidē attulimus propter eos, qui parum opportuno tēpore de

ser

ſermonis proprietate argutantur. Quod autem dicere deſij tale eſt, nempe quod exiccari deſiderat, non ſimpliciter ſiccante indiget medicamento, ſed conuenienti menſura. Copioſa quidem humiditate auctum, inſigniter exiccante: parua, modicè hoc faciente, quemadmodum multa, admodũ reſiccante: non tamen extremè, neq; in ſummo: ſiccitatis enim quantitatẽ humiditatis copiæ reſpondere conuenit. Ego itaque dum communem neruorum uulnerum curationis modũ immutare primũ auſus ſum, conieci in quantam humiditatem caloremq́; affecta pars recidiſſet. Et cum adoleſcens quidam mihi oſtendiſſet in primo articulo medij dextræ manus digiti, totum in ea circa neruum locum humentem adeò ex contuſione habentis, ut iam computreſceret, partem ſanè putridam lixiuia ſtacta & cataplaſmate ex hordei farina (ὠμὴν λυσὶν Græci nominant) foui: non putreſcentem, ſed tenſam dolentemq́; oleo calente liberaliter perfudi: inde quum lana ſicca madorem exhauſiſſem, ceratum tam humidum illeui, quàm in fracturis utimur, cui euphorbium ſit admiſtum. Confectum autem mihi eſt hoc quoq; mea induſtria, huiuſmodi occaſione: Profectus ad me quiſpiam hyeme uehementi, oſtendensq́; genu facile dicebat rigore ſe affici: ſtatim uerò calefacientibus iuuari. Volebam igitur huiuſmodi aliquod medicamentum acciperet, ut qui profectus in frigore inalgeret doleretq́; uehementius quàm aliâs. Nunc igitur, inquit, loturus diſcedo: mitte à balneo medicamentum: hæc cùm dixiſſet, abijt. At ego cum tale nullum medicamen ad manus haberem, euphorbium cum oleo triui, & ceram liquatam immiſcui:

paulò

paulo pòst cùm amicus pharmaco ferendo puerum misisset, exhibui. Dolore protinus cessante, inde in alijs particulis similiter affectus uti præcepimus, de quibus mox dicetur: nunc ad nerui uulnerati sermonem redeo, propter eos, qui nihil à me nunc dictum intelligunt: increpant autem interpretes, quos deprehendũt (ut uaticinor) perperàm nominare νευροτρώτους in tendonibus uulneratos. Tendones enim ipsos puto uocari, qui extra manum toti uolæ, & digitis circumtensi sunt. Quanquam sanè non ignorem, manifestius magisque propriè *τενοντοτρώτους ipsos nominari: tamen cùm omnes neurotrotos nuncupare soleant, & ego, ne quis innouare me appellationem dicat, consuetam pro uera suscepi, etsi nec illa sine ratione fieri potuerit, plerisque medicis tendones etiam neruos uocitantibus. Verùm siue neurotrotos, siue tenontotrotos appellasse mauis, neque ob has uoces incolumes erunt, neque conuulsione laborabunt, quemadmodum neque mancifient, nec morientur. Appellatio siquidem nec seruauit hominem unquam, nec perdidit, sed medicamentorum facultas utrunque efficit. Atq; ego hæc immutans, putrescentes, conuulsos, mancos, nonnullos etiam pereuntes, sanos uiuosq; reddo: neruos enim contusos habentes sicut illum neurotrotos, non neurothlastos nuncuparunt. Cæterum curatio communis est, & periculum simule amborum, nempe contusorum & uulneratorum, uel neruis, uel tendinibus. Itaque homo ille putredine iam circa primum medij digiti articulum orta, tensus doloremq; ex superiacentibus concipiens, multò melius habere cœpit die postero, quo uice hordei farinæ

*νευροτρώτους

rinæ eruorum farinam ſtactæ lixiuiæ commiſcuimus. Vn
de triduo ſimiliter curatus eſt: iam quidem in alijs quo-
que particulis dolorem omnino non percepit, ex contu-
ſione uerò neruoſum quoddã corpus craſſæ membranæ
perſimule inclinauit: quod mediocriter me commouente
facilè totum ſemiputridum excidit. Videbatur omnibus
contemplantibus hoc corpus neruus totus eſſe putris, ut
qui ignorarent, quo pacto tendones hi neruoſis membra
nis conuelati, per uolam procedunt, & in totam ſeriem
digitorum extenduntur. Mihi uerò putridum ex contu-
ſione attollenti tendo ſaluus apparuit. Cum igitur uel pa
ſtillo uno, uel trochiſco, uel utcunq; uocaſſe libet, quorũ
in numero eſt & polyidæ, ex epſemate ſoluto, uel ſy-
ræo, id eſt ſapa (nam & hoc pro arbitrio nominare li-
ceat) apparentẽ nerui particulam prius inunxiſſem, rur
ſus eodẽ modo & cataplaſmate, & unctione ex euphor
bio in iiſdem locis ſicut prius utroque uſus ſum. Quarto
iam die omnia commiſſa circa contuſum quidem antea,
ulceratum uerò tunc primum digiti articulum intuitus,
conſiderabam quorſum à cataplaſmate tranſgrederer.
Viſum igitur eſt, ſi neruus inflammatione prorſus uaca-
ret, ad cicatricem ducentia tranſire: ſi uerò phlegmone
ipſius ſcirrhoſus tumor remanſerit, abundè ſiccantia ex-
hibere. Quoniam uerò nõnihil ex ea reliquum eſſe uide-
batur, medicamentum ex dracunculi radice confectum
uſurpaui, quòd præter alia, eadem cum Aegyptio phar-
maco Iſide continet: aſſumpſit autem dracunculi radi-
cem. Ab hoc Athena dicta uſus: inde ad ea, quæ cicatri-
cem ducunt, perrexi. Ex altero paſtillo ſapa diluto nu-
datas

datas uulneris partes illinens, euphorbium extrinsecus imponebam, tantum ceræ ac resinæ temperans, unde emplastri crassitudo simul fieret, & euphorbij uires conseruarentur. Cæterum quomodo his scopis consideratis medicamentum componas, postea declarabimus. Etenim aliud ex aceto pharmacum confecimus, hoc spectantes, uti ipsius spissitudo, & subtilis aceti uirtus, cum refrigerandi uis interim exoluitur, incolumis permaneat. De his sanè quomodo præparata sint, pòst paulum tractabitur. Nunc quia neruis uulneratis medendi modum ex rationali indicatione, nugatoria illa Empiricorum periptosi repudiata, inueni, totam cogito ipsam dicere, sed ita, ut nullam distinctionem prætercam, sermonem ab initio rursus repetens. Quando igitur uulneratum aliquem protinus offendero, interim per liquida pharmaca curationem molior, interim emplastris, lanam extrinsecus quàmmollissimam oleo calente imbutam applicans. Quòd si medicamẽtum ex aceto usurpem, aceti modicum oleo admiscẽs, bis térue quotidie soluo, & oleo calente foueo. Si noctes longæ fuerint, etiã in his * soluere * λούειν.
consueui, idq; magis dum ulcus à medicamẽtis eroditur. Nam ubi initio tali medicamento utẽti æger nec se morderi, nec dolere, nec tẽsionẽ percipere mihi dicat, die soluo, & foueo, mane semel, & uesperi iterum: oleũ uerò, quo fouemus, satis calẽs esto, uerùm ita ne uulneratã partem offendat. Sicut enim frigida huiusmodi affectib. maximè est contraria, sic tepens non omnino utilis. Quoniã in primo de Simplicib. Medic. uolumine didicimus, ut aqua calens aut frigida maximè cõtraria facere nata est,
ita

ita quoque oleum. Nam frigidũ corpori admotum, perspiratum ipsius obstruit, imò prohibet: calidum uerò digerit, ac extenuat: quod tibi etiam ex carnibus in eo coctis licet condiscere: similiter enim pridie decoctus, friabiles efficit: etsi protinus cum animans mactatum est, coquas, aut in sartagine frigas: propter quod & ego fomentum ex oleo calente satis usurpare malui, tepidũ semper uitans: hoc autem magis frigidum. Porrò aquæ usum in tota curatione ita tempero, ut ne attingat quidem ulcus: proinde cum sanguis initio statim à uulnerata parte detergendus est, ex oleo id facere expedit. Vbi iam ægri mediocriter habentes, lauacro utuntur, neque tunc affectum locum in aquam demergere ipsis cõcedendum: magna siquidẽ ex parte nerui in manibus uulnerati sunt. Memini cuiusdam ex huiusmodi uulneratis, qui cùm diẽ quartum citra omnem dolorem ageret, partemq; affectã absque phlegmone uideret, multo in frigore domo egressus ad opus quoddam necessarium, eiq; diu immoratus domum redyt, membro uniuerso ad ceruicem usque tenso, idq; cum ingenti ipsius dolore. Postquam uerò quodam me accersente, profectus ad eum, uidi quibus in malis esset: oleum ex itinere refrigeratum à particula auferri iußi: calente uerò totum membrum foui, deinde ceruicis partem rectam lanis oleo respersis, & medicamento liquido ex euphorbio, simul cum castoreo hominem statim mitigaui: & somno accedente usque ad uesperam omnia cessarunt symptomata. Plurimùm igitur confert, lanam permanere calidam, siue oleo tãtum, siue oxelæo, hoc est aceto & oleo quoque imbuta fuerit: fiet hoc, si

aliæ

aliæ lanæ ſiccæ extrinſecus circumponantur, & æger intra tectum, modò hyems fuerit, ad quintum uſque uel ſeptimum morbi diem ſeſe contineat: nam ſi eouſque nec phlegmone quadam tentetur, uacetq́; prorſus dolore, & nullam ſentiat tenſionem, in poſterum tutus erit. Curabis autem ne in aceto uinoſum aliquid appareat: quemadmodum oleum quoque, ut omni aſtrictione uacet. Neque igitur crudum, quod ὠμοτριβὲς, uel ὀμφακίνον duplici nomine Græcè dicitur, adhibebis: neque id quod ab Hiſpania uehitur, imò nec aliud quodlibet ex his quæ oleæ ſurculos habent. Optimum oleum eſt tenuiſsimum, quale in Italia Sabinum: alibi uerò in nationibus Romano imperio ſubiectis, quæ nullam obſtringendi uim occupant. De oleo.
Iam uerò qualis res ſit rationalis indicatio, & quanto potior nuda experientia citra methodum hinc condiſces. Cùm permultis neruorum uulneribus ſæpe in itinere, in nauigio, in agro, uel in ciuitate, ſed procul à meis ædibus incidiſſem, nec medicamēti ex euphorbio copia adeſſet, nec illius quod ex aceto cōficitur, nec alterius, pharmaca, quorum eo loco facultas erat, uulneri imponentes, id quò tendimus ſemper ſumus aſſecuti. Noui etenim me in agro propolim recentem, liquidā & pinguem, quam agricola habebat, uulneri impoſuiſſe: interim fermentum ſolum, interim ambo commixta. At fermentum quàmuetuſtiſsimum eſſe, propolim uerò ſecus habere conuenit, quantum ad tempus attinet. Sin autem uetuſtior ſit, ex oleo iuxta ignem, uel in ſole emolliatur. Rurſus in alio quodam ruſtico ſuccum tithymali fermento mixtum impoſui, quem prope ipſius aulam ſuccreuiſſe conſpexe-

ram: quippe fermentum ut recens deprehendi: nonnunquam propolim ex oleo liquefactam fermento immersi, sed prius aceto quamacerrimo dissoluto. Præstat oleum esse uetus in huiusmodi temperaturis, puta ex oxymelite & fabarum farina, uel eruörum, uel lolij, uel ciceris, uel lupinorum amarorum, uel tenuiori polẽtæ puluere, uel hordeacea farina: quibus in urbibus usus sum cataplasmatis, non solùm in his, quos iam phlegmone prehenderat, sed etiam protinus ab initio. In agro cum picem liquidam apud fabrum inuenissem, fermento temperatam imposui: item apud alium eruörum farinam illo imbutã, cuius penuria etiam prædictorũ quoduis misceri potest. Quinetiam oxelæum solum quod caleret lana exceptũ, statim dum aliud nihil haberem obtuli, confisus aceto abundè acri & uetusto. In alio refrigerato, quod ante horam unam, uel longius etiam tempus neruus contusus esset, quousque aliud quoddam idoneum medicamen dilutum adferretur, partem oleo foueri præcepimus, interim aceto prius admixto: cum aër per æstatem calidißimus erat, temperatura ex utroque diutißimè foui, donec aliud medicamentum asportaretur. Singulis autem prædictis farinis permistam stacten sæpe illeui, & mox à principio, & postea cum homo medicamine quodam enæmo non probè usus esset. Hæc itaque omnia quomodocunque applices, calida qualitatibus offeras. Ego sanè cùm nullum domi meæ aliquando medicamentum compositum in promptu haberem, festinabundus dedi cuidam familiari uetus euphorbium, iniunxiq; læue factum ex oleo ueteri, donec humidi cerati spißitudinem haberet,

tendi

tendinis puncturæ in manu admouere. Reuersus igitur, interrogaui uulneratum, multúmne caloris in parte affecta sentiret: ille mediocrem aliquem respondit se percipere. Rursus igitur quærebam, an rosionem à medicamento iuxta uulnus sentiret: ille cùm se non rodi, sed ueluti pruritum quendam sentire dixisset, pharmacum ad noctem usque adhærere permisi. Quoniam uero dum imposita auferrem, calor in affecto loco mediocris mihi apparuit, neque punctus hians, satius uisum est eodem uti medicamento: & cum uulneratus altero die prosperè haberet, item tertio & quarto, ad finem usque idem pharmacum usurpaui: quod contemplatus aliquis in alio uulnerato similiter recenti euphorbio in eundem modum usus est. Quare necessariò calor ægrum multus, & commorsus, & dolor in ulcere subsecutus est, adeò ut homo ad me deductus sit, tanquam hoc præter omnium opinionem accidisset. Ego statim re intellecta, quod impositum erat abieci: fotum autem per oleum ipsi adhibito, medicamentũ ex aceto imposui: quod si non in procinctu fuisset, pharmacũ ex euphorbio copiosioris ceræ particeps admouissem. Quapropter non oportet, uti paulò antè diximus, probatorum medicaminum facultates ac species ignorare, nec quæ celeriter uirtutem mutant: tum quæ rursus diutino tempore conseruant. Nam ex his, quæ caducum ac statim euanescentem calorẽ occupant, euphorbium est. Id autem cognosces, etiam si non manduces colorem contemplatus: quippe non ut ab initio cinerium, uerum suppallidum & subflauũ redditur inueterascẽs. Statim etiam siccum abundè uidetur tunc, & uix inter

læuigandum ex oleo recenti protinus imbibito dissolui-tur. At subitò ipsum oleo miscendum non est, sed prius in mortario sensim terendum, ne dilatescat. Quid uerbis opus est? quod etiam gustanti tibi recens percipitur feruentissimum, ut linguam adurat, uetus autem modicam efficere caliditatem? Iam alijs multis pharmacis exilem adeò potentiam pauculis annis retinere contingit, attamē euphorbium tapsiam excellit: hæc enim ab anno admodum imbecillis redditur, ut bimula prorsus expiret: euphorbium sanè cùm principio bonum fuerit, & probè urat, etiam anno tertio adhuc uim aliquam retinet: interim anno quarto: quinto autem & sexto iam exoluitur: deinde procedente tempore in totum elanguescit. Sic ego dixi, oleo me nonnunquam usum esse uetusto sine cera, quod annos ferè quinq; uel sex natum esset. Vnde usum ipsius euphorbij mensura comprehendere nemo potest. Nam recens oleo decuplo cum cera tripla commiscetur, ueterascens copiosius ei immittendum est: trimum uerò & quadrimum, uel duplicatum prioris pondus, uel æquale ceræ. Cum igitur pharmacum consistentia simile acopis dictis unctionibus habere uolueris (quæ spissitudo liquidi etiam cerati est) oleum ceræ quadruplum esse curabis. Vbi uerò emplastri speciem referret, cerā omnino æqualem oleo temperare oportet, maximè si sicca fuerit, & uetusta: sicut recens & pinguis pauciore oleo indiget, ut ceratum emplastrodes efficiat, idq; magis adhuc per æstatem. Itaque si ceratum emplastrodes facere statuis, ceræ ex oleo liquefactæ, qua dixi temperatura sextam recentis euphorbij partem admiscebis, ut illius una

ſit drachma, ceræ ſex, olei item ſex, uel quinq;. Sed quoniam cera glutinans ac uiſcoſa non eſt, quemadmodũ reſina & pix, ideo hanc, uel illam, uel utriuſque partem cerato admiſceo. Clarum igitur eſt, dum hæc miſcentur, non amplius oleum pari illis portione affundendum. Etenim cera ad liquiditatem multo pingui indiget: reſinæ quæ quidem aridæ prorſus ſunt, modico: liquidæ & ſiccam quandam ſubſtantiam ad emplaſtri craßitudinem aſſumere poſtulant. In cera igitur non magna humiditatis ac ſiccitatis differentia eſt: inter reſinas, ſicut etiam in picis genere contrario modo habet: aridæ præſertim ab humidis permultum differunt. Omnium uero ſicciſſima eſt, quam nonnulli frictam, alij colophoniam appellant. Huic ſuccedit, quæ ex figulinis impura, nec deſpumata ſumitur: quam ſi purges, in frictam mutabitur. His ambabus ſiccior eſt, quæ dicitur pityinon phyſema, ac ſi dicas, picea germinatio. Hanc ſanè ceu ſquallidã, in præſentis emplaſtri compoſitionem non eſſe idoneam ratus, abieci. Vſus autem ſum fricta & liquidis. Iam uerò ex his nonnullæ diutius liquidæ permanent, quemadmodum terebinthina: aliæ citò inareſcunt, ſicut ſtrobilina: media utriuſque eſt abietina. Quinetiam facultate calidior eſt quidem ſtrobilina, mox uerò abietina, deinde terebinthina: cupreßi reſinam miſcere non auſus ſum, ut quæ nonnihil aſtringeret. Putabit forſan aliquis nobiſcũ diſſentire Dioſcoridem Anazarbeum in ſermone de reſinis hunc in modum ſcribentẽ, primo de medica materia commentario: Ex omnibus reſinis principatus terebinthinæ datur, poſt eam lentiſcinæ, tum ei quæ de picea raditur,

Reſinarũ differentiæ.

& abiete: ultimũ locũ pinea, strobilinaq; obtinet. In his enim Dioscorides tanquã de infima strobilina, optima uerò terebinthina sentire uidetur. Verùm ego ex his tribus resinis, strobilina, abietina, terebinthina, principem certè strobilinã calore, secundã abietinã, postremam terebinthinã esse diximus. Quẽadmodũ igitur, qui inter Italiæ uina austera optimum ponit uinum Italicum: alius ad qualitatem unam sermonem referens, alius absolutè de tota ipsius substantia pronuncians, uerus deprehenditur: eadem ratione etiam inter resinas optimam tanquam medicamentum in multiplices usus accommodatum, meritò terebinthinam affirmaueris, non tamen caliditate primas obtinere. Itaque, ut aiebam, licet tibi quamlibet resinam ceræ miscenti simplex ceratum glutinantius efficere, quod ex oleo & cera duntaxat componimus. Hic uerò experientiæ quoque utilitas est, quæ de coniectura nostra decernat: potes enim, ubi triplicatam ceram terebinthinæ commiseris, intelligere, emplastríne spißitudinem medicamentum acceperit, an ea adhuc siccius, copiosiorem insuper resinam desideret. Quapropter ubi hunc in modum experienti tibi mediocriter habere uideatur, miscebis tunc medicamento, quod conficis, duodecimam partem euphorbij. At si ignores euphorbium exactè sit calidum, an nonnihil ab eo discedat, post confectionem linteo paululum medicamenti illitum tuæ ipsius tibiæ uel cubito horis aliquot imponito: postea si modicè calefacere deprehenderis, temperatum esse medicamentum arbitraberis. Quòd si uel nullum sensilem calorem edat, uel iusto feruentiorem, integrum est aut pharmacum

renuit

remittere, aut intendere: remittere quidem mistura cerati, intendere apposito euphorbio. Atqui si propolim pinguem habeas, eam omnibus resinis aptiorem fore tibi intelligito, ut quæ uaporosam spiritus crassitiem, humoresq; superfluos elicere, ac ex alto foras ductitare soleat. Siquidem resinæ cum cera emplastri spissitudinis gratia non tanquam curationis consilio assumuntur, propolis autem curationis ipsius scopo continetur, atque hac sola, ut dixi, recenti, quantum ad humiditatem attinet, usus sum in agricola quodam duro corpore: ac mirum est, quomodo sola adusque finem adhibita adiuuerit, adeò ut nullius pharmaci præterea uenerit necessitas. Alteri qui puncturam nerui profundiorem haberet, tithymali cuiusdam modicum admiscui: mollioribus uerò corporibus medicamentum tactu durius apparet, nisi olei mistura uehementer ipsum mollias. Quin & alia medicamenta omnia, quæ neruorum uulneribus adhibentur, liquida & mollia esse conuenit. Molliciem igitur quoduis oleum conciliare, robur uerò medicamenti uetus oleum tueri potest: sicut propolim in agro nonnunquam accommodaui, tanquam melius pharmacum ijs, quæ tum affuerant, eligens: ita fermentum rursus admoui alterius medicamenti inopia, quoniam hoc quoque in alto fixa extrahere & discutere sciebam: quanto autem uetustius, tanto est præstantius. Porrò huiusmodi non solum facilè in agris reperiuntur, sed etiam sulphur uiuum, quo nonnunquam & ipso sum usus, temperans cum tetrapharmaco. Huic igitur & aphronitrum, & beronicium litrum, & aphrolitrum non lapidosum, sed uerè

aphrolitrum, quod spumæ consistentiam habeat, adijciens frequenter usurpaui, non modò in agris aliorum penuria, sed etiam præsentibus enumeratis medicamentis hoc nomine, ut animi sensum experientia explorarem, probaremq́; : ac uulneratus talis rei solo usu conualuit, fotus uidelicet oleo. Hoc enim commune tibi esto in omnibus medicamentis, quæ hic dicuntur, neruorum uulneribus cōducere. Iam uerò quod à medicis uocatur arsenicum, ab his qui Atticè omnia uolunt proferre arrenicum, adiunxi tetrapharmaco, rationem experientia uolens confirmare: rursus cum id non adesset, sandaracam, uti uocant, sicut calcem restinctam & uiuam, lotam & illotam, minus autē uiuæ, plus restinctæ, & hac plus adhuc lotæ adieci. Cæterum de exacta cuiusque compositionis quantitate paulò pòst dicemus, ubi hæc simplicia omnia, ususq́; ipsorum distinctiones retulerimus. In hoc enim sermone propter Empiricos, qui ex periptosi, id est incidentia, seu casu plurima compositorum medicaminum inuenta esse putant, uisum mihi est commemorare, neruorum uulnera curandi rationem à me citra illam periptosin repertam, inde quòd sanationis ipsorum scopū, & simplicium pharmacorū facultates cognoscerē. Etenim ex casu unum aliquod simplex medicamentum inuenitur: rationalis autem methodus plurima simul inuenit, & uarias ipsorum compositiones. Quæ iam ex alto humores educere digerereq́; possunt, neruorum uulneribus ex usu sunt. Quandoquidem uerò nonnulla caliditatem immoderatam, uel mordacem uehementer acrimoniam, uel acutiem coniunctas habent, alia ipsis pharmaca

admisce

admiſceri ratio eſt, quæ prædictos exceſſus ſine uirtutis offenſa temperare queant. At hoc fieri non poteſt, niſi cuiuſque medicamenti non modò qualitatis genus, ſed etiam quantitatem in ea cognoſcas. Quædam nanque, ut oſtendimus in commentario de ſimplicibus medicamentis, in primo calefacientium ordine collocantur, à temperatis paululum abſcedentia, alia in ſecundo magis inde declinantia, alia tertio, nonnulla quarto, quæ urere iam queant. Igitur ex uehementiæ uirtutis cuiuſque pharmaci portione miſtorum facultas inuenitur, modò ſimplicium omnium temperamenta intelligas. Empiricorum hæreſis ſola homogenia propter uniuſcuiuſque medicamenti naturæ ignorantiam temperat: & qui hanc nouerunt, ſola homogenia miſcent, quia exceſſus quantitatem certò non cognoſcunt. Quod itaque ipſe primum præparaui medicamentum, ex multis eiuſdem generis compoſitum eſt, quoniam nondum cuiuſque uirtutis quantitatem exactè pernoſcebam. Inieci etenim nonnihil arſenici, ſulphuris, miſyos, calcis lotæ & illotæ, & pompholygis, ſimiliter ſpodij, item ſquamæ æris, chalcitidis uſtæ, lotæ & illotæ: ad hæc non uſtæ. Hæc igitur prius in aceto quàmacerrimo diebus multis ſole æſtiuo læuia reddidi. Quæ fundi ex his debebant, cera erat neceſſariò, & mellis nonnihil prius expurgati: reſinæ propemodum omnes, propolis, pix, & ladanum. Liquida, oleum cyprinum, ſuſinum, opobalſamum, amaracinum, gleucinum, cedrinum, ricininũ & uetuſtum. Ex ſingulis autem liquoribus, quos non multo antè recenſui, paulum aliquid: poſtremò aliâs aliud auferens experientiæ gra

tia, nihil ſimpliciora ſingula, quibus in hunc diem utor, à uirtute priſtina abſcedere animaduerti: atqui temperaturæ ipſorum mox ponentur. Itaque ex aceto, & liquoribus talia confeci, ceræ, reſinarum, propolios, & picis nonnihil adiungẽs, pari modo ex columbarum ſtercore & herbis tenuium partium. Minus ergo moleſta ſunt liquida pharmaca cum alijs, tum neruorum maximè uulneribus, quibus utimur etiam emplaſtri modo compoſitis, propter eos qui ſe lauare uolunt. Lanis enim ablatis, ac tali pharmaco ſolo adhærente, lauant minus duriter, ſed liberius. Prædictum eſt, neque tunc læſam partem aquis reſpergẽdam, ſi in manu uulnus contigerit, pedem uerò ſi is læſus ſit, non madefieri qui poteſt? ſed tũc à balneo primis quatuor diebus abſtinendum eſt. Quoniam uerò omnium huius tempeſtatis hominum, & eorum etiam qui ruri degunt fortitudo perijt, qui lauare ſe quotidie conſueuerunt. Equidem qui non adeò delitijs affluunt (ſunt hi maximè pauperes) ut plurimum obtemperantes nobis habemus: diuites uerò, & præſertim potentes illos, uel ægrè obtemperantes, uel prorſus immorigeros experimur. Optimum igitur fuerit, nec ipſis mederi: uerùm cum, neſcio quo modo, alius ob aliam cauſam, quidam noſtrûm inuiti, quidam ultro ipſorum molliciem tolerare coguntur, tale quippiam factitare conſueui: uulneratæ parti pharmacum aliquod emplaſtum imponens, extrinſecus iterum multiplices pannos oleo tinctos plures ſuperinijcio: quibus rurſum extrinſecus faſciam ex linteis accommodo, quam deinde in ipſo balneo, cum æger in ſolium ingredietur, oleo prius perfundo: &

*do: & loto iam omnia imposita aufero, utorq; prædi-
cto totius curationis genere. At uerò patet omnibus, eum
qui pulchrè neruorum uulneribus prospecturus est, etiã
particularum naturæ peritum esse oportere. Nam antea
comprehensum est, tendines pariter in quos musculi com
plures desinunt, non mediocriter condolescere, primum
quidem conuulsione tentatos, dein putrescẽtes & ipsos,
uicinas simul partes uniuersas inficere. Nonnulli eorum
ceu membranæ tenues latiq; sunt, quales in femorum ter-
minis ad genua spectantibus, tum intra manus, infraq; pe
des subtensi sunt. Omnes enim qui in manibus pedibusq;
cernuntur, satis quidem coëuntes cutem contingunt: qui
uerò in patellam perueniunt, à circunposita cute iuxta
tarsum abscedunt.*

Confectiones medicamẽtorum ex metallicis, ad neruorum uulnera.

EX *metallicis medicamẽtis astringentia uitare consul
tũ est, præsertim ubi cõpositi pharmaci usus in pun-
ctura eueniat: quæ uerò detergendi uim occupant, sicut
æris squama, ex usu sunt. Cæterum omnia metallica, cum
craßiorum partium existant (multũ enim terrestris sub-
stantiæ in se continent) artificij nonnihil in præparando
requirunt, quo tenuiora fiant. Hoc igitur ex aceto fieri
quamacerrimo cõsideraui, præsertim quòd ex uino non
austero confectũ est: at si ex tali non sit, sed uetus, eo uti-
tor. Attende tamen diligenter in gustu, ne tibi uel mini-
mam uini qualitatem referre uideatur: tale quippe ace-
tum ualidam exedẽdi, secandiq; uicina potestatem habet.*

Iam uerò metallica ex acerrimo, & quàm fieri potest uetustißimo, substantiaq; tenuißimè læuigare oportet, quò felicius spißitudo auferatur. Præstiterat id in sole æstiuo perficere. Quædã enim ex metallis ne uel scindi possunt, nec comminui, in aceto ad dissolutionem facilia, sicut chalcitis, & misy. Nonnulla & contundi, & concuti, & postea læuigari desiderant, quemadmodum æris squama. Cum igitur primum præpararẽ medicamentum, immiscui ei & arsenicum appellatũ, postea superfluum esse putaui: etenim ex æris squama & misy, & chalcitide medicamen compositum iri abundè satis uidebatur: temperaui autem prima confectione etiam æruginẽ combustam: nam quæ ignem experta non erat, tanquam iusto mordaciorem suspicatus sum: deinde tamen non ustæ pauxillum simul adieci, quantum aliorum portio ferebat. Pari modo chalcitidem, crudam sanè paucißimam, ustam uerò æqualem misy & æris squamæ indidi. Præstantius autem omnibus compositis fore speraui, imò etiã usu deprehendi, in quo copiosa æris squama inesset, dein chalcitis combusta, postea misy. Quocunque igitur miscebis pharmaca, ad solem, ut domi uerno tempore, multis diebus in puluerem ex aceto quàmacerrimo rediguntur: quanto enim longiore tempore trita fuerint, hoc tenuiorem substantiam consequentur: ideoq; angustis uulneribus aptiora: sicut in neruis carne denudatis, admodum tenuia exedentiaq; cauenda sunt: ob quod prædicti pastilli omnibus id genus conueniunt: siquidem nonnulli astringentia quoque assumpserunt. Porrò celebres ex illis sunt, qui ad Andronem, Polyidam, & Paßionem au

ctores

ctores referuntur. Sunt & alij quidam, quartus, & quintus, illis ualentiores, quibus ego subinde utor. Temperaturæ uerò ipsorum perfectæ sermonis processu dicentur, nunc de eorundem usu tantum explicasse sufficiat, quod tritos ipsos aridos, postea rursus siræo (id est sapa) adiecto ita terere conuenit, donec sordium spißitudinem recipiat medicamentum, & æqualiter læue fiat. Vocant autem nunc omnes siræon, ex musto decocto natum: id autem nihil uini habeat, quale nõ ex austerarum uuarum, sed quàmmaxime dulcium musto præparatur, neque ex primo fluente, sed postremo. Si igitur tale mustũ extiterit, coquendum est, dum ad dimidiam partem mensuræ consumatur: sin minus, ad tertias concoquendum est. Huiusmodi quidem decocto pastillos soluere expedit, ut mellis craßitudine linamentis excepti, neruis denudatis imponantur, maximè temperatiores, qualis Polyidæ est. Atque hoc multò magis, si corpus sit tenerum ac molliusculum, in quo prorsus à pastillorum usu te abstinere tutius est, alijs utẽtem pharmacis, de quibus iam sermo factus est, iterumq; fiet. Neruo autem cooperto, qui nudus erat, linamentis extrinsecus unum aliquod ex ijs, quæ ad angusta uulnera conueniunt, superdandum est. Sunt huiusmodi quatuor genera, unum quod ex metallicis conficitur, alterum ex liquoribus: inter quæ refertur & illud, quod ex euphorbio constat, tertium ex columbarum stercore, & quartũ mite à nobis appellatũ, quo etiam ad neruos tenerorum corporum omnino denudatos utimur. Ex his quatuor unum quoddam toti affectæ particulæ circundandum est, ita ut sanas quoque

par

partes unà comprehendat, præsertim superpositas: quas bis die, uel ter, si necessitas incidit, fouere oportet. Quin etiam nocte interim linamentis quidẽ denudato neruo impositis: cæterum eo quod extrinsecus admotum erat ablato. Porrò cum permagna humanorũ corporum sit differentia, tum in temperamentis, tum ætatum mutationibus, insuper uitæ studijs, nulla ratione quodque medicamentum omnibus conuenire potest: quamobrem duo in promptu habeto, alterum ualentius ex similibus genere confectum, alterum mitius, quæ inuicem mista dum usus postulat, permulta inter hæc iuxta misturæ quantitatem constitues. Si nanq; parem utriusq; portionem temperaueris, mistum exactè medium amborum erit: quòd si altero plus adijcias, tantum à medio ad illud summum recedet, quanto mistura superauerit. Esto igitur ualentissimum metallicum ex his constructum: unam partem crudæ chalcitidis habeat, duas misyos similiter crudi, tres æris squamæ: inualidissimum unam itidem misyos & chalcitidis, sed utriusq; combusti, squamæ quatuor. At uerò amborum medium, quo subinde usus sum, tale esto: Misyos, chalcitidis, æruginis, cuiusq; usti partem unam, æris squamæ partes tres: his, sicut prædixi, contritis, ceræ inualentissimo duplum, in altero duæ partes & s miscentur: in medio, quod intra hæc consistit, partes duas & quartam, sicut in primo trium, quod ualentissimum esse dixi, omnes partes numero senæ ex misy, chalcitide, & squama collectæ nascũtur, quibus ergo duodecim ceræ partes adijcientur. At in medicamẽto inualidissimo si metallicorum sex partes existant, ceræ * duodecim appo

Aliás * octodecim.

apponas, in mediocri amborum medium. Sunt autem inter octodecim & duodecim media quinque & decem. Quòd si denarium unum statuas, unã omnium esse partem, tot denarios adijcito quot partes, siue unciam, siue libram: Sic enim apud Romanos consuetudo est nominari, tot uncias uel libras. Porrò mẽsura apud ipsos est, qua oleum metiuntur, insecta discretaq; lineis, totam in duodecim partes diuidentibus: atque integra mensura ab eis libra nominatur: duodecima eius portio, uncia. Metallica igitur & cera in lance alijs uncijs consistunt: oleum cornu metiuntur. Itaque prædictis pharmacis omnibus iuxta ceræ portionem oleum immittatur, superetq; in singulis dimidio: ut si cera uncias octo cõpleat, oleum duodecim, hoc est integrã libram pẽdeat. Esto autem id sabino simile, essentiæ tenuioris, minimeq; astringens: si uetus sit, præstat. Crudũ uerò, & quod ex oleæ surculis confectum est, nequaquã conuenit. Cæterum omnibus medicamentis cõmemoratis, ubi metallica ex aceto pluribus diebus in mortario trita fuerint, thus candidißimum & pingue admisceatur: deinde rursus unà cũ metallicis diebus aliquot læuigetur, priusquam ceratum eis temperes. Quanta uerò ex omnibus metallicis copia colligitur, huius partẽ dimidiam thus cõtineat: si mollius medicamentum facere postulas, amplius quàm dimidiã: sicut ubi acrius expetis, minus dimidio adiũgas. At uerò ceræ cum oleo liquatæ resinam quandam misceas licet, sciens acrius ipsum adiecta strobilina fieri: mollius terebinthina, mediũ utriusq; abietina. Ex harũ genere larix quoq; est, prædictis planè humidior: substãtia uerò simi

lis li

lis liquidæ piceæ, quam loco terebinthinæ institores uendunt ignorantibus eas discernere: est autem talis odore, gustu, & facultate quàm terebinthina acrior: cum hac igitur & terebinthina larix persimilem potentiam obtinet, sed tenuiori substantia, maioreq́; discutiendi uirtute prædita est. Miscebis igitur ceræ sextam superiorũ resinarum partem uolens medicamentum emplastri figuram induere. Nam uni ceræ pondo resinæ uncias duas adijcies: sin autem liquida insigniter fuerit, uel unam tantum miscere satis est. Attamen si ut emplaston pharmacum fiat nihil curas, resinam addere non admodum opus est: galbani uerò æquale thuri pondus indes, ubi mitißimum reddere statuis: dum ualentius, dimidium: quando ipsorum medium, id quod inter æquale & dimidium est. Verbi gratia, si quatuor thuris denarij fuerint, duas galbani impones, ualidum permanere medicamen postulans: mite quatuor, medium tres. Vt enim molle & anodynon quippiam habet, ita quoque σηπτικὸν, hoc est exedens: quod sanè plurimis mollientibus accidit. Quare cum neruo denudato pharmacum adhibes, non adeò galbanum esse commixtum oportet. Quòd si nudus ille non est, haud mediocriter ipsius temperatura dolore auferendo conuenit: ideoq́; tale etiam medicamentum acuto sensu præditis, teneris & cachochymis paratum habere expedit, in quo plus galbani adiectum sit. Omnia siquidem metallica aspera sunt, doloremq́; concitant, ex liquidis acetum: unde meritò ex illis confecta pharmaca aspera uidentur, & dolorifica: ob quam rem fotus ex oleo & galbani mistura similiter ipsis idonea est: nihil

autem

autem minus tenuium partium adeps galbano lenis est. Quare uelim aliud quoque medicamen ex his præparatum habere, quod ex metallicis composito temperare poteris, tum in dictis corporibus, tum in his quæ asperum & dolorificum quandoque medicamentum percipiunt: deligendus autem adeps, qui tenuioris essentiæ existat, cuiusmodi sunt agrestium animantium, maximè leonis, pardi, apri, & ursi: ad hæc uolatilium, maxime anserũ: horum inopia agrestium gallorum gallinarumq́; ita uerò anserum quoque syluestrium. Nam animalium, quæ in urbibus aluntur, & tanquam in ocio conclusa sunt, humidior est adeps & craßior. Quando pharmaci substantia cerati spißitudinẽ habebit, ceræ tertia uel quarta pars admisceatur: uel si adeps humidus nimium esse tibi uideatur, licet & ceræ dimidiam adijcere: quemadmodum ubi sicca fuerit, quartam: cum mediocriter habet, tertiam. Quod iam ceratum multis utile futurum est, διὰ στεάτων, id est, ex seuis nominetur.

De medicamento διὰ εὐφορβίου.

Dictum mihi est & antea, uetus euphorbium recentiori multo inferius: si igitur anniculum sit, etiam cyrenæo magis liquore excalfacit: præsertim eo, quem nunc habemus: ex quo per aquæ irrigationem stirpes augent, & ad liquoris copiam generandam conficiunt. Nam post annum unum abundè calidum est: deficit autem non mediocriter à recenti: bimum adhuc magis à nouo degenerat, quemadmodum trium aut quatuor annorum etiam hoc magis. Vetustioris uirtus omnino resoluitur. Cognosces autem, ut dixi, quam ætatem, quamq́;

uim obtineat, & colorem, & substantiam eius respiciēs. Colore quidem uetus nouo flauidius, pallidiusq; apparet: substantia durius & siccius. Iam si gustu uoles discernere, non coniecturalem eius dinotionem, sed firmā habiturus es. Quod uerò dixi calfactoriam unctionem ex eo me confecisse, exactißimè pharmaci facultatem tibi indicabit. Constat hac temperatura: Vna pars est euphorbij, tres ceræ, olei duodecim: ceram quidem euphorbij triplicatam, oleum uerò ipsius ceræ quadruplum esse conuenit. Vbi igitur in hunc modum medicamentū composueris, fricata quadam eius parte manifestò licet dinoscere, quantam uirtutem obtineat, maxime autem in balneo innotescit. Siquidem ab aëre moderatur, sed magis adhuc ualidè ab aqua, cum euphorbium sit calidum, recens, & forte. Tale igitur consecutus, & hanc ipsam cō memoratam unctionem audacter pūcturis imponito, ubi oras hiare metus est. Si imbecillius fuerit, auge mensurā euphorbij pro imbecillitatis ratione, interim partem dimidiam inijciens, interim duas nonnunquam pares ceræ, & plures, si uetus nimium extiterit. Primus sanè usus in puncto neruo, uel tendone, ad secundum te deducet. Si nanq; uulneratus ipse erosionem sensisse dicat, tibiq; partes puncturam ambientes calidæ appareāt, tum ipsa punctura magis ac par est elata, & oræ inflammatione nonnulla afficiantur, uel olei copiosioris mistura uim medicamenti remittes, uel compones aliud ad priorem temperaturam, aut euphorbio uetustiore moderatum ita efficies. Quòd si è contrario quàm dixi, eueniat, uirtutem pharmaci adaugebis. Si mediocriter omnia habere uidebuntur,

buntur, seruabis. Itaq; confectura ceram euphorbij triplicatam continens, aliarum est ualentissima: cum illud (quemadmodum diximus) recens additur: quincuplam habens, inualidissima: quadruplam capiens, medio inter utrasque ordine consistit: at si unguenta proponis efficere, qualia à medicis ἄκοπα nuncupantur, oleum ceræ quadruplum immiscebis. Si uerò, ut in fracturis, liquidum ceratum parare, duplum: quando cera & sicca & pinguitudinis expers fuerit, duplo etiam amplius: plerunque uerò sufficit unius partis dimidium duplo apponere, ut tota ceræ mensura duarum pondo partium & s. fiat. Atqui emplaston medicamen cupiens componere, oleum pari mensura ceræ miscebis, si quidem ambiens fuerit calore temperatus: si cera uetus & arida, & illud frigidum est, paulò amplius: sicut cum cera est pinguis, ambiens calidum, paulò minus. Id autem minus duodecima in utriusque medij portio est: etenim & undecim, & tredecim nonnunquam olei uncias ceræ libræ temperaui, pro eius consistentiæ quantitate, tum aëris circumflui caloris frigorisq;: rarò autem paulò plus, uel minus: uerum ut deligari posset, pinguitudinem uiscositatemq; haberet, nec friabile esset, aut facilè solueretur, aut à cute decideret, adiunxi resinam ei, potissimum, si aderat, terebinthinam ueram: sin minus, paratissimam ubiq;, quam frictam & colophoniam appellant, eamq; pari cum cera pondere: conseruat enim medicamentis, quibus iniecta est, priorem consistentiam, ubi & ipsa mediocriter habeat: quippe notum est, ut in omnibus alijs, sic in resina quoque, maioris minorisq; rationem consistere. Itaque

si pinguior, liquidiorq́; nonnunquam appareat, sciẽdum est, ceratum quod ex cera cum oleo liquata proueniet, liquidius multo quàm erat euasurum. Summatim, in neruorum uulneribus, cum interim ab exacta mediaq́; medicamentorum emplastri modo confectorum substantia errauerit, ad molliorem potius tendere, etiam si inquinaturum sit: simili ratione & quod substantia mediocri est. Pix autem cerati consistentiam seruat: optima uerò, sicut dictum est, in talem misturam pinguis conuenit, quẽadmodum & resina. Si liquidam resinam inijcias, quali substantia est terebinthina, tertiam ipsius partem ceræ esse oportet. Atque ipsa terebinthina recens ueteri longè est liquidior. Cogitate igitur, quod de cera & resina audiuistis, id in omnibus obseruandum esse: nec enim ex siccis, & aridis, uel tempore, uel ex primaria natura, uerùm ex mediocribus consistentia, tantum cuiusq; miscendum est in medicamentorum compositione, quantum à me scriptum inueniatur. Fingamus iam, quòd uim & substantiam prædicti medicamenti mediocrem habeat, ceræ, resinæ frictæ, & olei pares portiones continere, ipsius euphorbij sextam: ut singulorum sit libra, euphorbij unciæ duæ. Quòd si mollius reddere uoluerimus, octauam euphorbij partem inijcere sufficit, hoc est unciã s. in recente & calidißimo, uelut præcensui, euphorbio temperatura hac definita: nam si uetustius sit, eoq́; imbecillius, copiosius hoc aliorum portione esse debere, prius indicauimus. At si non resinam duntaxat, imò etiã picem inijcere est animus, selibram utriusq; miscebimus, ut modus ceræ sit æqualis: quanquam multo præstat medica

dicamentum, si resinæ picisq; loco propolim ceræ parẽ adiungas. Quòd si ipsa pinguitudinem non habeat, similiter resinis, si adhærẽs pharmacum, ut fascijs ligari non opus sit, esse curemus, terebinthinam, uel laricem nominatam, uel etiam syncomisten pineam indemus: uoco syncomisten, quam ex fodinis & figulinis accipiunt, ligna multa, ac lapidosa corpora in se habentem: quæ liquata, dum percolatur, pura tunc sicut colophonia & fricte dicta redditur: quin & resinas αὐθόῤῥυτους quasi spõte fluentes admiscere licet, nominant ipsas in Lacedæmone, ac plerisq; alijs regionibus πρωθόῤῥυτους: in Cilicia uerò nuncupant talem capnæleon, omnibus resinis tum liquidiorem, tum calidiorem, tum substantia tenuiore præditam: quare potentiæ medicamenti, quod componis conferet, tum maximè inijcienda, cum euphorbium roboris expers fuerit. Porrò inter alias resinas odoratior est, sicut terebinthina, & abietina: ostendimus antea terebinthina abietinam esse calidiorẽ, hac strobilinam. Differt autem strobilinum physema, & pityinum, siccum, pinguedinis expers, arescẽs utrunq; celeriter, ut in pila contundatur, & cribro secernatur, quale ad propositi medicamenti compositionem neutiquam conuenit: usus tamen sum frequentißime, cum euphorbium anniculum existeret. Porrò dum componitur, olei, ceræ, resinæ frictæ, singulorum pondo libram misceo, picis pinguis selibram: & his liquefactis, euphorbij põdo uncias duas: si imbecillius sit, tres: si terebinthinam ceræ adijcere uoles, unam: mediocrem pharmaci consistentiam facies, si cera terebinthinam liquidam & recentem triplo su-

De resinis.

peret: huius exiccatæ temporis spacio dimidium pondus oleo tribues. Totum autem ex tribus mixtum, oleo, inquam, cera & terebinthina, cum fit, libræ unius semissis, euphorbij anniculi unciam unam accipiet: si tale nõ extiterit, unam semissem: unde, sicut iam subinde dictitauimus, euphorbium pro temporis ratione augere nobis est integrum. Quinetiam si uulneri impositum pharmacum primo usu uidetur imbecillius, euphorbium oleo læuigatum, medicamini emplasto, manibus antè subacto licet admiscere: sic enim nobis facientibus, promptè unitatem accipit. Cæterum iuxta primam pharmaci compositionem satius est ceratum rasum seorsim ubi præparaueris ita læui facto euphorbio cũ oleo admiscere. Quippe ijs, quæ liquata sunt, ipsis superfusis in mortario, plerunque fiunt encerides, præsertim ambiente frigido. Aquã uerò ceræ liquefactæ cum resina cõmittere non est necessarium: sicut ego ab initio factitabam, tantum ei temperans, quantum in ipsa coctione consumendum erat.

Medicamentum ex liquabilibus confectum.

Liquabilia uoco medicamenta, quæ ignis commercio colliquantur, tum quæ ex humidis quibusdam, uelut aqua, aceto, & uino constant: ex aceto itaque citra ignẽ liquescit gutta ammoniaci, sagapeni liquor, & panacis, quem appellatione composita opopanacem uocant. Igni uerò liquescunt propolis, cera, resina, ladanum, seuum, galbanum, quæ in duplici uase colliquare melius est. Nominamus autem sic, cum in cacabo, qui aquam calidam habeat (prunis enim incumbit) uas alterum consistit, præ-

ter

ter liquabilia etiam galbanum continens. Habeto autem tale quoddam medicamentum ſaltem unum, etſi duo habere præſtaret: inter quæ ualidius erit huiuſmodi: Opopanacem ex aceto diſſolutum diutius conterito, poſtea liquefacto ſuper ignẽ propolim, galbanum, reſinam terebinthinam miſceto: ſingulorum itaque pars una eſto, propoleos recentis pinguisq; ſex: ſi uerò ſicca uetusq; contigerit, præſtat omnino ea non uti. At ſi aliam non habes, duas portiones, non unam miſcebis: ſin abſit propolis, eius loco picem pinguem, qualis eſt bruſia, & quæ ex regionibus circa Pontum aſportatur: pinguis ſimul & odorata, quam in nigrum amaracinum inijciũt, quale prius totum conficiebatur: nunc etenim ſubalbidum amaracinum componunt: quo ſi careas, alia utitor, terebinthina, ſicut prædiximus, duplicata. Ego nonnunquã uel ſolum medicamentum ex pingui pice confectum impoſui, quo etiam ad canum morſus utimur: hoc nanque ſolam picem pinguem ex aceto acri coctam huiuſmodi ſymmetria continet: ſextarium unum Romanum aceti, libram unam picis, opopanacis trientem, quod eſt uncias tres. Hoc pharmacum ulcus ex rabioſi morſu cicatricem ducere non ſinit, ſed punctis in neruoſa quadam particula idoneum eſt: quippe quod puncturæ oras conniuere nequaquam permittat. Quoniam uerò durum eſt, in duris ſolum corporibus eo utemur, qualia ſunt aurigarum, & meſſorum. Sin autem puero, uel muliere, uel molliore corpore puncto, hoc tantum quiſpiam ueſtrûm præſens habeat, idem cum unguento aliquando diſcuſſorio, amaracino maximè & opobalſamo, colliquare licet, de-

inde cum irino & comageno: hæc si non adsint, leucino, susino, & cyprino: his quoque desideratis, oleo ueteri liquefaciat: & si in Alexandria degat, ricinino & raphanino: hæc siquidem copiosißima in illa ciuitate habentur, sicut etiam in uniuersa Aegypto. Atqui in illis regionibus sinapinũ oleum haud facilè reperiri potest: cuius & ipsius parte mixta pharmacum longè acerrimũ fore, nemo ambigit: ut ad puncturas conniuentes aperiendas conducat. Patere autẽ cuilibet arbitror ex prædictis, si loco opopanacis sagapeno prius in pila ex aceto trito liquefactam resinam, propolim & adipẽ quampiam acriorem adijcias, eiusdem generis medicamen futurum: alterum uerò mollius est genus pharmacorum liquabilium, sed acetum non habet, quod propoli & seuis tantum præparatur, cera quoque propter spißitudinem adiecta, ex cuius mistura pharmacum tactui blandius redditur. Adeps tenuium partium acrisq; esto, sicut leoninus & pardalinus, hyenæ & ursi. Sed de anserino quid attinet dicere, præsertim cum anseres rusticæ fuerint? Quin & tauri uetustus adeps & hircinus huc conuenit: nam mistæ naturæ tum facultatis adipes temporis interuallo (quia terrestres acresq; sunt) in maiorem acrimoniam declinant, similiter uidelicet plurimis quæ uetustescunt: sic nanque & ipse porcinus adeps omnium cum sit mollißimus, temporis processu acrimoniam acquirit. Idem uino, aceto, & melli accidit: in horum genere sunt etiam medullæ: longe uerò præstat ceruina, & uitulina: coagulum his acrius, & iam uehementioris pharmacorũ generis propemodum existit. Itaque & huiusmodi aliquod

quod

quod pharmacum habere uos consulo, ut cũ à forti quodam medicamento supra modum morsam partem offendas, oleo prius eam fotam huiusmodi quodam contegamus: sic nanque placata rursus ad acrem curãdi modum redire poteris. Ego itaque dum partem in neruo uulneratam quandoque soluissem, uulnus irritatum contemplatus, pharmaco liquido fortè fortuna præsenti, quod ex adipe constat, ad aures inscriptum, eoq; in uase duplici calfacto illeui, ac subitò inde auxilium ægrotanti accedere percepi: quippe statim omnis dolor quieuit, ac deinde uulnus soluenti secundum naturam habere uisus est.

De pharmaco ex columbarum stercore confecto.

Columbarum in turribus rusticorum agentium stercus acre est, quo interim ruri usus sum in adolescente nerui uulnere affecto: atque hoc agricola cum uidisset, loci consideratione (erat enim non imprudens) imitatus semper usurpat, & neruis uulneratis medetur. Porrò compositio, tum usus idem omni medicamini ex euphorbio, & alijs qui similem confecturam habent: sed euphorbij loco stercore indito. Verùm stercus hoc subtilitate euphorbio cedit, eoq; duris corporibus ex usu est. Temperaui aliquando ipsum metallicis simul, experiundi gratia, statim à principio cum eis terens ex aceto ad solem, sicut nuper docui, multoq; acrius medicamentum euasit, quemadmodum & cum æruginem uiuam acceperit.

Aliud est Actuario ἐκ βοτανῶν.

De pharmaco ἐκ βοτανῶν, id est, ex herbis composito.

INsuper ex subtilibus herbis ad neruos uulneratos medicamentum composui: initio quidem ex dictamno, amaraco & malo terræ, id est, aristolochia tantum, postea uerò ex alijs, mei ipsius periculum faciens, an rectè compositionem ipsorum coniectura assequerer: atque omnia, quò uolebam, perduxi. Idoneæ uerò ad id herbæ amaritudinem sine astrictione gustu referant, uel acrorem, non tamen immodicum: tales sunt præter prædictas, maron, amaracum, polium, argemone, chamæpitys, centaurium, quæq; eius notæ in simplicium medicamentorum doctrina commemoratæ sunt: quemadmodum etiam radices omnium aristolochiarum, dracunculi, ficus agrestis, bryoniæ, altheæ, iridis, acori, mei, asari, phou, gentianæ, & panacis. Omnium siquidem id genus materiam in simplicium pharmacorum commentarijs exposui: at radices, herbasq; totas non modò intelligere oportet, sed etiam accuratè contusas tenuibus cribris secernere, imò etiam denuò exactè læuigare, ut arida collyria usque in puluerem redigantur: nam crassa essentia neruos uulneratos nihil iuuat, qui subtilia, ut diximus, pharmaca requirunt. Cæterum percolatum medicamen, læuigatumq; cerati modo excipiatur ea temperatura, quæ in euphorbio prius indicata est. Quantum enim in illo bimuli euphorbij, tantum ijs dictamni, mei, & acori inijciēdum est, tum quæ his similiter calida gustu percipiūtur: quantum uerò illis trimuli, tantum ijs aristolochiæ, iridis, dracunculi, gentianæ, aliorumq; id genus, quæ perinde ac il

la amara sunt, immittemus.

De pharmacorum confecturis, quas Græci πολυτελῆς, hoc est, sumptuosas vocãt, ad neruos vulneratos.

NOn abs re fuerit, etiam eiusmodi pharmaca cognoscere: usus enim ipsorum quandoq;, sed rarius incidit, quemadmodum simplicium frequenter. Vbi enim quispiam pharmacorum medicorumq; studiosus, nõ plura quingentis myriadibus haberet, nullo simplici putabat uti: multò magis uel diues aliquis, uel monarcha, odoratum simul & quod multa constet pecunia, uolet habere pharmacum. Porrò diuitis, quem citaui in primo de pulsuũ prænotione, suppreßo nomine memini, quemadmodum & nunc: qualis autem erat, ex duabus ipsius actionibus eiusmodi condisces. Vlcus famuli malignum ipse sanare conabatur: ubi autem nihil promoueret, mihi hominem tradidit: ac cum uideret curatum, medicamenti scripturam postulabat, nesciens multas quidem malignorum ulcerum esse differentias, multas item medicamentorum, sed arbitratus unum pharmacum omnibus posse mederi. Cum igitur qui offerebat, neque artificiose ipso uteretur, postquam audiuit, quibus constaret, essentq; omnia uilis precij, hoc, inquit, mendicis serua, me autem sumptuosius aliquod doceto: quinetiam puello diu ex auribus laborante, ubi ipse multis, quibus usus erat medicaminibus citra methodũ, nihil attulisset præsidij, nobis illum quoq; curandum adduci præcepit: posteaq; audiens ex quodam sibi obuio puerum sanatum, non postula

stulauit pharmaci scripturā accipere. Hic igitur ipse con templatus, multis, quibus nerui uulnerati erant, digitos & abscissos, & putrefactos: quosdam uerò perijsse, uel mancos redditos: deinde intelligens nullum ex eis, qui à me curati essent, periclitatum, omnes uerò celeriter sanos euasisse, pharmacum cupiebat aliquod à me accipere odoratum simul & sumptuosum, quo neruorum uulnera posset sanare. Ego sanè multas iam sæpe tum familiaribus, tum amicis medicis scripturas iuxta prædictam methodum ex tempore compositas tradideram, ut experimentis compositionis ipsorum ratio confirmaretur: sumptuosum uerò, cuiusmodi ille uolebat, pauperculis hominibus nullum utiq; dedi, ratus melius esse remedia ex paratu facillimis componi. Cum igitur diues ille odori sumptuosiq; medicaminis compositionem aliquā accipere petijsset, plures ei scripturas donaui prædicta methodo factas: quas cum experiri festinaret, tum liberis, tum seruis neruis uulneratos sibi conquirere iniunxit: medicamentis autem supra omnem spem operatis, primum sanè me laudauit, ut qui citra inuidiam scripturas ei communicauerim, postea etiam donis prosecutus est: etenim ad huiusmodi officia promptus erat. Porrò medicaminum, quæ ei dederam, confectura est talis: Cinamomi, dictamni, mari, singulorum denarium pōdo quadraginta: hæc nanque odorata sunt, & subtilia: at amaracum quasi non boni odoris nequaquam miscere cogitaui: deinde quoniam Romæ ægrè poterat inueniri, sicut & marum, uidebam autem illum ægrè parabilibus gaudere, quemadmodum & sumptuosis, apposui scri-
pturæ

pluræ etiam illius pauxillum quiddam partis unius, ut puto, quartam uel quintam portiunculam: hæc contusa, cribroq́; subtili secreta temperare iußi, cerato ex opobalsamo optimo, & cera tyrrhenica facto: temperatum uerò esse coniecturaui, si ceræ partes octo, opobalsami decem receperit: at ne friabile medicamentum foret, sed sibi cohærens unitumq́;, etiam resinæ terebinthinæ, quæ & ipsa odorata, modò sit optima, partem unam adieci. Verùm si generosius, ut dixi, medicamẽtum facere proponas, non unam cuiusque herbæ commemoratæ partem immittas, sed amplius, ut una & semißis fiat. Hoc igitur ab experientia probatum est medicamen: alterũ ex eodem cerato, & liquore ciryneo compositũ, mistura pro portione euphorbij facta, tertiumq́; aliud ex utrisque temperatis confectum: quartũ deinde, quod stacten myrrham accepit: in quibus autem neruus nudus est, ibi ceratum ex cera, quæ uocatur μυρεψικὴ, & unguentis apud Romanos dictis spicato & phuliato cõposui: duodecimam partem pompholygis ei admiscens, siue eloti masculino genere, siue elotæ fœminino malis dicere: nihil enim, quomodocunque dicas, uel præsidij, uel nocumenti pharmaco adferes: licet autem & ex tyrrhenica cera ipsum præparare: nec prohibet quicquã, sine prædictis unguentis tyrrhenicam ceram ex nardo usto lique facere, in duplici nẽpe uasculo, quod in omnibus unguentis commune est: at raso cerato spicæ nardi, amomi, folij malabathri, & põpholygis eloti pares singulorum portiones miscebis. Etenim in puncturis, sicut præceptum est, acriora pharmaca prosunt, quæ uulnus apertũ per-

seruent:

seruent: denudatis autem mediocri astrictione, cum digerendi uirtute absque morsu prædita offerre conuenit. Quanquam & amomum astrictionis sit particeps, magis autem ipso nardi spica & malabathri folium.

E quarto libro Galeni

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM ΚΑΤΑ ΓΕΝΗ.



RIMVS sanè liber in alborũ emplastrorũ confecturis, alijsq́;, tum eorum quæ ulceribus cicatricem ægrè ducẽtibus conueniunt, finitus est: ubi distinximus communiter appellata dysepulota, id est cicatricem difficulter admittentia, ab ijs quæ propriè cacoëthe, hoc est maligna dicuntur, & ipsa nimirũ dysepulota. Quoniam uerò quædam saniei humorumq́; ulceratis partibus influentiũ uitio cicatricem ægrè admittunt, quædam ipsa affecta sede influentem succum quamlibet probum corrumpente, secũda ratione ulcera dysepulota & cacoëthe propriè nominant: in quibus interim totam partem affectam excindere, uel adurere nonnulli coguntur, aut medicamentis crustam inducentibus, aut igne utentes. At cum ampla sit latitudo utrinque in eo, quod alterum altero magis minúsue

núsue dyſepulotum, malignumq́; eſt, tantũ medicantium pharmacorum eſſe numerum oportet, quantus ipſorum quoque ulcerũ extiterit. Meritò igitur omnes, qui unum duntaxat medicamentum ulceribus malignis cicatricem inducere promittens habẽt, ſucceſſu crebrò fruſtrantur. Nam duo (minimum) quæ idem pollicentur, eandemq́; facultatem oſtendunt, diuerſa alioqui inter ſe, non ſimpliciter maioris minorisq́;, uerùm ut apertiſsimè dicam, maximi ac minimi ratione in promptu adeſſe illi conuenit, qui omnia id genus uitia curare propoſuerit. Quemadmodum commentario Therapeutices in uniuerſis affectibus primam omnium communem auxiliorum potentiam inueniri docebamus, dein materias, quibus illa cõtinetur: ita nunc quoq; in ulceribus dyſepulotis generalem pharmacorum, quibus illa curabũtur, facultatem, quæ tandem ſit, uel prius inuentam eſſe oportet. Indicata mihi eſt & hæc in illo opere, cum quidẽ nullus uitioſus habitus uulneratas partes infeſtat, duos ſcopos habens: unum, ut id quod influit, repellat: alterum, ut quod affectæ parti inhæret, infixumq́; eſt, diſcutiat. Atq; hæc contrariæ uires præſtant: ſiquidem influxum reprimunt, quæ ſunt aſtringentia pharmaca: digerunt impacta iam exceptaq́; trahendi poteſtate prædita. Porrò quæ aſtringunt ut plurimum exaſperãt, atq; hac occaſione moleſta ſunt. Trahentia uerò, ac digerentia ex alto humiditates, non citra acrimoniam id efficiunt. At acrimoniam dolor aliquis neceſſariò ſequitur, ulceratam partem erodens: atq; ſic propter dolorem, quam exaſperantia erodiẽtiaq́; concitant, humores ulceratis partibus influentes irritari contingit:

unde

unde quoq; ulcus phlegmone obsideri exediq́;. Ex quibus dictis colligitur, ulceribus dysepulotis præsidia inueniri non posse, multò minus adhuc malignis. Quare talis pharmacorum materia, quoad eius fieri poßit, inuenienda est, unde ulcus citra dolorem siccescat: quod accuratè fieri nulla ratione licet, medico ignorante, quem affectum medicamen exhibitum ostenderit. Quippe ex ambobus compositum, erodente puta & astringente, necessariò ualidum existit. Verùm sordes & humiditatis copia id genus ulceribus incumbens, ueluti propugnacula quædam ulceratis particulis facta rosionem ualentibus pharmacis adimunt soluuntq́;. Itaque attendendum est, quantum primus usus humiditatis in ulcere desiccauerit: uel si etiam sordes habeat, quantum inde absterserit. Ac ita secundum, tertiumq́; uti illo debemus, donec purum & siccum ulcus apparuerit. Vbi uerò id tale conspexeris, ad aliud medicamentum te conferes, eiusdem quidem speciei, sed priore imbecillius. Nam ualidiora, dum mordendo ulcus dolorem inferunt, fluores mouent, & phlegmonas concitant. Quòd si rursum aliquod multò imbecillius priore pharmacum adhibeas, ulcus humidum, sordidumq́; euadet. Hac igitur parte artificio utens medicus, eo qui experimento innititur melior est, quòd sciat ulcus non alia medicamentorū uirtute curari, quàm dum affecta pars eam siccitatem consequatur, quam in naturali statu sita poßidebat. Quod factum intelligimus, ubi neque tenuis amplius sanies influat, neque pus producatur. Hanc dispositionem ulcera nanciscentur, quo dixi modo siccescentia, hoc est astricta, discussaq́;: dein ubi

sicca

ſicca quidem fuerint, uerùm ſordida adhuc appareant, deterſorijs pharmacis repurgantur, quæ & ipſa in opere de ſimplicibus medicamẽtis commemorauimus, in quò prius exercitatum eſſe conuenit, qui hinc omnino frugem reportaturus eſt. Hoc uobis amici, quibus iſta ſcribuntur, conſtare manifeſtò admodum noui: itidem rationem ſine operum exploratione probabilem non eſſe, dicta iam mihi demonſtrant. Etenim uidiſtis ſubinde medicos quoſdam, illis ipſis pharmacis ſine uia ac ratione uſos, nihil promouiſſe: me uerò multa eius generis ulcera perſanaſſe. Quamobrem in memoriam reducite medicamenta citra demorſum exiccantia: qualia ſunt permulta metallica. Atqui hoc etiam memineritis, quòd combuſtis elotisq́; eroſio, quæ prius abfuit, edomatur ac interit. His igitur impræſentiarum uti uobis licet: elotis quidem in pueris, eunuchis, mulieribus, & qui molli natura carne ſunt præditi: item qui ad ſentiendum habiles admodum ſunt, & uitioſo ſucco laborant. In alijs corporibus etiam illa uſurpare potueritis, mane primum ipſa partibus, quæ curantur, probè difflatis adhibentes. Si uerò corpus totum præparationem quandam requirat, & hanc prius factam eſſe oportuit, præcipimus de his in commentario de morbis curandis. Nonnullis ſiquidem uel purgatio ſola ſufficit, quibuſdã ſanguinis detractio, alijs utraque hæc adhibere profuerit. Sunt in quibus ſuperiacentem uaricem excindere ſatis eſt: uel lieni, uel iocineri proſpicere: aliquibus ambiẽtes ulcus partes præſcindere: quemadmodum interim labrorum callos amputare. Si horum quid experiri oportet, humoris copia ſi-

mul cum ſordibus inſpicienda eſt: atque ita ad idoneum medicamen ueniemus, rurſus ſimplicium memores, quæ deſiccant, non tamen ulceris ſordes abſtergunt: item quæ abſtergunt quidem, non tamen probè deſiccant. Porrò quæ utrunque poſſunt efficere, proſpiciemus ex quoto quodq; ordine exiſtat, quod maximum inter ea cenſeo, quæ ad curationem pertinent, neglectum tamen medicinalis materiæ ſcriptoribus. Nam hi ſolas uniuerſales ipſius uires dicere ſtuduerunt: ſicut etiam Dioſcorides, quem nulli eorum qui in eadem quaſi arena deſudarunt, ſecundum eſſe quiſquam dixerit. Ego igitur deinceps omnia pharmaca recenſebo, quæ ulcera citra demorſum & manifeſtam exaſperationem exiccare poſſunt. Incipiam à metallicis, quibus etiam terræ ſpecies adnumerantur. Porrò cum uariè inter ſe differant, in eo quod magis minusq; ſiccent, à medijs orſus ad uehemētia, uel obſcurius exiccantia me conferam. Siccant igitur modicè lemnia ſphragis, & cadmia, præſertim quæ ſua ſponte naſcitur, præter quod in torrentibus aut riuis quæritur, ac in Cypriorum montibus, alijsq; locis inuenitur, maximè ubi metalla ſunt. Conſueui eam magis ſiccantem reddere per æſtatem in ſole, pluribus deinceps diebus terens ex aceto, aut uino colore giluo, ſubſtantia pellucido. Cuiuſmodi eſt in Italia Falernum, in Aſia Tmolites, quod multo maximè ſiccare natum eſt. Hoc genere comprehenditur & Ariuſium in Chio natum: item odoratū Leſbium in Ereſſo & Mithymna. His ſuccedunt omnia uetera, cum ex albis & aſtringētibus inueterata ſunt. In Italia Signinum, Tiburtinum, & Marſum: in Sicilia uo-

catum

catum ab incolis Aminæum: in Asia Aphrodisieum, & Misyum. Sufficit enim mihi horum facultates uniuersales ueluti exempla exposuisse. Iam uerò cadmiam ex aceto acri, similiter multis per æstatem diebus in sole præparo, siccatamq; repono, ut ulceribus malignitatem assumentibus inspergi poßit. Valentius hoc pharmacum est, chalcitis combusta eodem modo prius in puluerem redacta: post hanc ignem non experta tam ualens medicamētum est, ut crustas faciat. Lotam igitur ipsam, deinde tunsam habere satius est. Minus enim lota, quàm usta desiccat, tum lōgè melior est, minusq; mordax. Persimile medicamentum est etiam ærugo cōbusta, quæ ignē non experta est, fortißimum medicamen est, sicut chalcitis. Verùm hæc nonnihil etiam astringit, & ea multo magis chalcanthum, quod inter metallica maximè siccat. At ærugo huius potentiæ omnino particeps non est. Misy autem & sori chalcitidi genere cognata sunt, ex una, ut dicam, radice producta: tenuius tamen misy apparet, tum minus mordax & urens: craßius sori est, & utrisque siccat imbecillius: quemadmodū & stibi maiorem astringendi siccandiq; uim ac sori poßidet. Porrò diphryges appellatum pharmacum; ulceribus ægrè humiditatis uitio ad cicatricem uenientibus aptißimum est: ualidè nanque siccat, etsi modicè mordax. Ad hæc, præter acrem tum qualitatem, tum potentiam, uim habet astrictoriam: quas tamen utrasq; fortiores & chalcitis cruda, & chalcanthum repræsentat: siue id masculino genere, siue fœminino, siue neutro appellasse quis malit. Nam hoc uobis interim succurrat, de nominibus contendendum non esse,

ubi speculationem ipsius artis usui necessariam ediscere statueritis. Porrò alumen quodlibet ulcera satis exiccat, generosè astringit: unde nemo solis his ad ulcera utetur, sicut nec cruda chalcitide, & ærugine: usta uerò & hæc & misy utilia sunt, ut elota morsum quidem remittunt, uerùm minus siccant. Itaque lotis uti tutius est: quoniam permulta corpora, quibus mederi cogimur, unam quandam dispositionem habent, qua uehementem commorsum ferendo non sunt. Audiuistis hæc frequenter, & nunc iterum commẽtationis gratia in toto subsequenti sermone repetere conabor. Quæ igitur plethora uitiosoq; succo laborant corpora, ad hæc quæ tenera carne prædita, & ad sentiendum insigniter habilia sunt, facilè ex morsu, seu rosione phlegmonem recipiunt. In horum numero continẽtur mulieres uidelicet candidæ, pueri, eunuchi, uiri cute alba: insuper qui regionem frigidam incolunt, humidi hi quoque & pituitosi, eoq; molles & albi: quemadmodum ij, qui calidum tractum inhabitant, ut Aegyptum & Arabiam, duros corporum habitus, & siccos sortiuntur. Itaque hæc ueluti in mentem reuocãdo, appositurus sum & aliã pharmacorum simplicium materiem, quæ malignis ulceribus curandis sit idonea. Sarcocolla igitur & ichthyocolla, his magis adhuc chrysocolla tali facultate prædita est. Huc optimè facit & plumbum combustum: post hoc sori, stibiq;, eaq; combusta: insuper plumbi recrementum, Græci σκωρίαν μολύϐδου uocant, probè siccat: quemadmodum & ferri squama, euidentius tamen stomomatis. Porrò æris squama, præter quòd siccat, etiam abstergit purgatq;. Vnde

pura quoque ulcera efficit, quod reliquæ squamæ non possunt. Quare si hæc omnia medicamenta arida ulceribus malignis ac contumacibus inspergis, mirificè uidebis citra erosionem ea desiccari sicut ubi buccinorum testas concrematas, purpurarum, ostreorum, aliorumq; id genus adhibueris. Quin & lapis specularis, græce διαφανὴς, Romanis olim specularium dictus, ex ijs est quæ leniter ac sine morsu exiccant: qui ustus ulceribus dysepulotis, non item malignis ac rebellibus conducit: quippe minus exiccat, quàm illa requirunt. Idem potest uitrum ustum, ac ignitum illud quod in uasis æreis calefactorijs adhæret. Cæterum ægyptiæ spinæ fructus, galla omphacitis, hoc est, immatura, rheon, malicorium, tum radices, tum herbæ non paucæ ultra siccãdi etiam astringendi potestatem habent: nam & malum terræ, iris, acorũ, arthemisia, panacis radix, argemone, chamæleontis nigri radix, ciperum, dracunculus, & gladiolus affatim exiccant. His euidentius adhuc centaurium, & polium: quibus paulò imbecillior est terra nomine erythrias, uti ualentior est ampelitis. Talis sanè medicamentorum simplicium ad ulcera maligna ac contumacia materies existit: extrinsecus autem nonnulla ipsis apponuntur, quæ quidem per se uehementis potentiæ gratia non admoueri, sed alijs temperari solent, ueluti ærugo ignem nondũ experta, calx uiua, & illota, & molle aphronitrum, quod reuera aphronitrum est. Quanto enim spumantius, tanto præstantius est utraq; facultate, tum quòd minus mordet, tum quòd magis digerit. Didicistis enim in opere de simplici medicina, subtiliora crassioribus

hac uirtute inter omnia, quæ simili specie comprehendun tur, præcellere. Porrò nihil tam nobis euitãdũ est, quàm pharmaca generis oleosi, quæ Hippocrates μαλθακώδη, id est mollia nominat: cuiusmodi sunt omnes adipes, præ sertim porcorum, dein resina, postea cera: alia uerò ratione & quæ indurata remolliunt, μαλακτικὰ dicuntur, non conueniunt, galbanum, bdellium, gutta ammoniaci, styrax, medullæ. Item alio modo acria, piper, zingiber, sinapi, canchri, multaq; eius generis alia.

Quomodo medicamẽtis siccis modò commemoratis, in vlceribus ad cicatricem ægrè venientibus & malignis, vtendum sit.

HViusmodi ulcera uitioso plena humore necessariò existunt: pleraq; uerò ipsorum etiam sordes copiosas sustinẽt. Quoniam ergo siccum aliquod pharmacum ipsis sumus inspersuri, conuenit prius ea linteolo molli, puro & sicco exprimere: ubi ulceris cauitatem medicamento impleueris, platysma labris attenuandis accommodatum extrinsecus superdandum est: hinc rursus linamentum undique æquale foris inyciendum, cui spongiam, ex aqua aut uino tinctam applicabimus. At permultum referre existimabis, ut spongia frigida maneat: quod ex facili fiet, si frigida continuè citra deligaturæ solutionem foueas: sed hanc ei imponere, ac circundare debes, ut Hippocrates in commentario de fracturis edocuit, maximam offensam fore ratus ex deligatura, quæ ad elegantẽ formam, non usum conducit. Si igitur fascia una fuerit, sursum

ſurſum tendet, ſiue ſura, ſiue genu, ſiue talus, ſiue cubitus, ſiue manus ſumma, ſiue alia quæuis pars laborauerit. Quòd ſi duabus uti uelis, ut in fracturis, altera à parte affecta ſurſum feretur, altera deorſum prius, mox in ſuperiore parte deſinet, dum ipſa priori coniungatur. Quamobrem haſce faſcias ex linteis, non laceros panniculos eſſe, ut omnes nouiſtis, expedit. Tertio quoq; die, non ſingulis ſoluendum membrum eſt, ſic ut aqua non adhibita, quo dixi modo nuper, molli, puro, & ſicco linteo ſaniem ulceri abſtergas. At ſi ambientes ulcus partes phlegmonodes quippiam repræſentent, humidum medicamen latum extrinſecus platyſmati ſuperaccommodandum eſt ex meo phœnicino, non ſimpliciter liquefacto, ſed cui plurimum uini aſtringentis adiectum ſit: non tamen cum refrigerante oleo liquare ipſum conuenit: uerùm ſi rubor quiſpiam, uel omnino calor in circumpoſitis ulceri partibus exuperet, aſtringente, & refrigerante id faciendum eſt. Sunt huiuſmodi, myrteum & melinum: ſi hæc non adſint, adhibeto quod omphacinum, & omotribes nominãt. Si durities maior extiterit, oleo ueteri, uel ricinino ipſum phœnicinum liquefacies. Sed tutius fuerit, ſi nihil in ambiente ulcus loco uitioſi appareat, ſuperpoſitæ regioni liquidum medicamentum admouere, quod repellat, ſi quid prius uel prauum, uel plus quàm par eſt, influat: maximè cum in crure ulcus obortum ſuperpoſitam uenam uaricoſam habeat: quæ dum magna eſt, ac colore nec rubrum, nec probum ſanguinem, ſed atriorem, magisq; melancholicum continere uidetur, excitanda uenit. Interim uerò contigit, ut ue-

na tali excisa ulcus statim ad cicatricem ueniret, etsi iam annum durarat: uerùm ipsius loco iuxta diuisionem, ubi erat excisa, ulcus malignum ac contumax oriretur, cui cicatrix induci non potuerit. Igitur in id genus uitijs præstat, uiribus ægri consultis, à uenæ incisione auspicari: deinde pharmaco purgare melancholicum humorem, & cum hoc etiam pituitosum educente: quoniam is quoque unà nonnunquam cum melancholico influit, dum uarices generantur. Postea ipsam uenam ulceri suprapositam in longum scarificare commodum est: ubi abundè uacuaris, ei ipsi uenæ sectæ prius medendum: postquam exactè iam cicatricem ducere uidetur, tunc maligni ulceris curationem, ut prædictum est, aggredere. Iam uerò lien interdum malè affectus uitiosi talis humoris auctor est, sicut & iecur: quibus antea prouisis, sic tandem ad ulcus curandum uenire oportet. Pari modo si uniuersum corpus cachochymum, uel plethoricum existat, prius expurgare uacuareq; expedit, quàm medicamentum ulceri admoueas. Porrò intra ulceris per arida medicamenta curationem, quotiescunq; solueris, aduertendum est, qualémnam in particula effectum ediderint: sciendúmque, ac in memoria habendum, nonnulla desiccare, non autem detergere, cuiusmodi sunt illa, quæ astringendi qualitatem obtinent, ulcus purum non efficiunt. At quæ præterquam quòd siccant, adhuc etiam detergunt, ea non modò siccam, sed puram quoque totam partem exulceratam efficiunt. Præterea notandum uenit, pura ulcera ab ijs medicamentis, unde prius cum essent sordida nihil rosionis percipiebant, nunc erodi,

di, morderiq́; . Quæ causa est, ut à ualentioribus absterforijs pharmacis ad mitiora lenioraq́; digrediamur, ubi ulcus adamußim purum inuenerimus. Quemadmodum rursus in sordidis ad magis abstergentia transimus, nisi ex rosione sordida apparuerint. Hoc siquidem medicis etiam bonis existimatis nonnunquam imposuit, ut ad absterſorium ualentius acriusq́; se conferrent: unde iterũ ulcus erosum, ex æquo sordidum, uel etiã magis adhuc, altera solutione uisum fuerit, carne quæ id fœdat à medicamẽto colliquata: nam ita in prauam saniem degenerat. Cæterum quicquid in his ipsis tenuioris substantiæ est, à pharmaco difflatur, reliquum ibidem ulceribus infixum sordes ipsis redditur. Quare animum attendere oportet, utrum ulcus carne quæ subest exesa ac colliquescente sordidum euaserit, an quia medicamen sordidis auferendis aptum requirat, impositum uero tale non sit. Quod indicat ulceris maior facta cauitas, tum oræ rubentiores calidioresq́;, cum medicamenti acrimonia abstergentur. Forsan igitur superuacaneum fuerit, in præsenti commentario compositorum medicaminũ usus, rationẽ, modumq́; adscribere: quippe in methodo curandi explicatũ. Quæ uerò necessaria sunt, & magnam noxam adferunt neglecta, satius est bis térue, ut fidelius memoriæ inhæreãt, eadem repetere. Ponamus igitur & hoc in talium ulcerum curatione, si quidem citra totius corporis offensam fieri poterit, ægrum à balneo abstinere, perfricari linteis largiter, mox oleo, deinde ferulis exerceri, si crus fuerit affectũ: uel cursu, si partes superiores malè habeant. Quòd si à balneo temperare sine totius corporis noxa non po-

terit, ſoluere deligaturam non oportet: uerùm ut ligatum eſt membrum lauare, & aquam calidam ex ſpongia exprimere, aliamq; mox frigidam infundere, ut nullus in deligatura calor ſit reliquus. Iam ſi curatio ſuccedere uideatur, etiam abſque ſpongia alligata ſanari poteſt, ſi phœnicinum liquefactum, ut dixi, extrinſecus imponas, uel citra ſpongiam, quæ faſcijs comprehenſa uelut in fracturis, ægrotæ corporis parti orbiculatim circundatur.

Compoſitio emplaſtrodis medicamenti.

QVoniam malignorũ, & difficulter cicatricem recipientium ulcerum curationis ſummus eſt ſcopus, ut medicamentum citra morſum exiccet: aqua uerò & oleum maximè omnium humectent, ab eis abſtinendum eſt ita, ut nec per ſe adhibeãtur, nec alijs ſiccis temperentur. At cera deligẽda eſt, neq; natura, neq; uetuſtate ſicca, uerùm recens & pinguis: quam in ſole emollitam aridis medicaminibus dictis, quibuſcunq; uoles, excipere licebit: ſin autem ſol abſit, apud ignem calefacta ſubigatur, & in calidam aquam demergatur. Non enim aqua per tota miſcetur, ſed ſtatim ab ea emolleſcente defluit, antequam ulceri fuerit impoſita. Symmetria uerò mordicationis eſt talis.

Mediocre medicamentũ hoc modo efficitur.

Quarta pars metallicorum ceræ adijcitur: ualentius erit, ſi tertia ſumatur. Porrò cum ipſa metallica minus magisq; lenia ſiccaq; exiſtant, uirtus in ijs que magis ſiccant, intendetur: quæ minus, remittetur: quemadmodum

rurſus

rursus tutior leniorum usus est, mordaciorum periculosior. Dictum nanque frequenter est, nonnullas naturas corporum, tum cutem, tum carnes magis sensorias habere, quibusdam has minus esse sensiles. Item pro maioris minorisq; sensus ratione doloris etiam affectus sequitur, ut & phlegmones. Accedit huc non mediocris differentia, quòd quis molli sit carne, uel duriore, boni maliq; succi, uel plethoricus, uel uacuus, uel medio quodam modo inter enumeratos affectus: unde colligo, unum omnibus medicamentum præparari non posse: sed qualecunque ex similibus specie cōfectum fuerit, hoc uti sciet ille, qui methodum isto libro traditam artificiose didicerit. Exempli gratia in subiecta materie: si pares utriusque, æruginis & æris combusti partes musceas, aluminis scissi partus unius dimidium, ut totum tribus uel duobus denarijs s, uel uncijs totidem constet, sufficiet ceræ denarios adijcere denarijs: decem uerò uncias uncijs, in temperati & medij facultate pharmaci compositionem: melius fiet, minúsque mordebit, si loco aluminis scißilis diphryges accipiat: cuius uno denario integro iniecto, erit præstantius: & si æruginem mordacius facturam suspicati, lene prorsus ipsum fieri postulemus, combustam apponimus. Insuper si expurgare sordes statuerimus, æris squamæ denarij dimidium addetur, ut tota medicamenti temperatura talis euadat: æris, æruginis ustæ, diphrygis, singulorum partes æquales, hoc est, cuiusque denarij pondo unius, æris squamæ denarij dimidiũ. Hæc pingui cera, ut dixi, excipiantur: ubi siccior paulò fuerit, quam ut cõmemorata excipiat, temperan

perandum eſt oleum myrteum quo molleſcat, uel melinum, uel lentiſcinum, uel ricininum, uel cyprinum, uel omotribes uetus, uel recẽs hiſpanum, uel quod apud nos ex oleæ ſurculis conficitur. Aut ſi omnino nihil oleoſum medicamento adhibere placet, laricem reſinam admiſceto: cuius ſi copia non eſt, terebinthinam in locum reſtituito. Cæterum hoc ſemper in memoria tenẽdum eſt ijs, qui hæc legunt, maximè ad primum nuper dictum, tanquam præſtantiſſimum ueniendum eſſe, mox ad ſecundum & tertium, deinde ad alia, ceu pro pharmacorum uirtutis, & potentiæ portione, ſermonis ordinem nobis uſurpantibus.

Quæ medicamenta Crito ſcripſerit. Medicamentum διὰ λαδάνου, hoc eſt, ex Ladano.

Optimum medicamen epuloticum, quod διὰ λαδάνου inſcribitur: conuenit prætumidis ulceribus, & cauis: deligatum uerò membrum in diem quartum continendum eſt: Picis aridæ denarium pondo centum, æruginis raſæ denarium pondo uiginti quatuor, æris combuſti denarium pondo quindecim, ſquamæ rubræ denarium pondo uiginti quatuor, ladani põdo uncias nouem, argenteæ ſpumæ pondo libras tres, olei ſextarium s, uini optimi ſextarium unum s. Hoc emplaſtrum præparaui & ego, materia, quæ nullum μαλθακῶδες, hoc eſt, molle pharmacum contineret. Sic enim uocat Hippocrates omne genus medicaminum, quæ connatam humiditatem habent, qualis in pingui eſt, ſingulisq́; oleoſis medicamentis, & quidem in ipſo oleo & aqua. Quin & reſina, ceraq́;

Quæ uocet μαλθακώδη.

raq; molle quippiam occupant. In medio ipsorum, dico autem siccorum temperamento & mollium, pix consistit: eoq; ambobus generibus citra offensam admiscetur, quemadmodum tum argenti spuma, tum arida pharmaca, quæ circa mediam materiẽ uersantur, etiamsi nonnihil ad utrumuis excessum interim declinent. Hoc genere comprehenditur pix quoque, secundum siccitatis ac humiditatis oppositionem manifestò iam à medijs recedens, secundum alteram oppositionem calefaciẽtium & refrigerantium non item: calefacit enim modicè, atque ideo medicamentis quæ pus mouent, admiscetur. Quamobrem in proposito medicamine arida pix medijs attribuitur, atque hac magis argenti spuma, tum alia quæ siccandi uim obtinent.

De indicationibus ad vlcera curanda.

Ostensum est in medendi methodo, præsidia ex indicatione ab ipsis affectibus contrariæ illis temperaturæ inueniri: item à tota animantis cuiusque figura, tum à singularum rursus partium propria & simili: unde si ulcus simplex, cauum habeat quis, ab ipsis generalibus, sed quæ non mediocrem differentiam in particularium speciebus habent, curatio sumetur: atque ob id demonstrauimus ulcerum omnino similium quædam à medicamentis, quæ ad plenum siccent, persanari, puta, radice panacis, aristolochia, acoro, iride: nonnulla à solo thure, licet hoc carnem non inducat, sed illas naturas ad suppurationem perducat, quas aristolochia carne replet. Sicut autẽ in corporibus curandis differẽtia particularis permagna

magna est, ita quoque in ulceribus: nam cauum & purum ulcus à mediocriter siccantibus curatur: sordidum uerò, & malignum, & oris prætumidis quidem, sed carne cutis fluida, ualidißimè siccantia requirit. In his igitur ulceribus, quoniam de ipsis uerba facimus, thus est imbecillum medicamen, ut ne pus quidem concoquere, uel mouere poßit: argenti spuma hoc est ualidius, sed medijs tamen & ipsum inferius. At pix arida mediorum gregi annumeratur: quemadmodum hanc superat exiccando æs combustum, chrysocolla, & diphryges. Euidenter siccat & chalcitis combusta, ærugo, misy, & æris squama: atque alio modo acerba, quæ Græci στρυφνὰ uocant, galla omphacitis, malicorium, alumen. Exedunt autem non usta, chalcitis, ærugo, misy, & calx. Quæ iam fortißimas facultates habẽt, in omnibus corporibus eandem actionem ostendere uidentur. Imbecillia manifestam differentiam indicant: insuper si mentem adhibeas, neque minus in ualentibus pharmacis magnum actionis discrimen deprehendes, quàm in mollibus & duris corporibus obeunt. Etenim mollia citius accendunt, uehementius molestant, & maiores phlegmonas concitant.

E ſexto libro Galeni

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM ΚΑΤΑ ΓΕΝΗ.

QVINTVS *enim quòd particularia ſolum tractet omiſſus eſt.*



VPERIORE *commentario emplaſtra dicta Græcè* πολύχρηστα*, quòd multis conueniant affectibus, diſtinguentes, ea potiſsimum collegimus, quæ præter alia ipſorum pollicita etiam ulceribus ægrè ad ſanitatem peruenientibus mederi queant: in præſentia uerò ad aliud emplaſtrorum genus* πολύχρηστον *digrediar, quæ tum ad alia multa ſingulatim faciunt, tum ad particulas putreſcentes, aliter affectas, quàm ulcera propriè* δυσθεράπευτα *à curatione difficili nuncupata. Etenim illas putrilago depaſcitur, eoq; turba medicorum hos affectus nomas appellat: illa uerò uno loco ſine putrilagine circunſcripta ſunt, ut & phagedenæ dictæ, uicina quidem depaſcunt, non tamen ea putrefaciunt, febresq; inferunt, quòd ijs quæ depaſtionem cum putrilagine ſuſtinēt accidere conſueuit. Summa curationis erat in prædicto ulcerum ægrè curabilium genere (chironia quoque uocant) medicamenta inuenire, quatenus licet roſionis expertia, ualidè autē*

exiccan

exiccantia. Porrò hæc quæ nunc ſcribentur omnia, mor dacia ſunt, ſi quis ipſis ſolis, non cerato temperatis uta tur. Quæ cerato miſcentur, purgare quidem ulcus ſordi dum & carne replere poſſunt, atq; etiam duritiem quan dam & tenſionem diſcutere, non autem difficilia curare. Indicant ipſorum uirtutem affectus, quibus bene adhibe ri credita ſunt. Quod iam ſuperius admonui, & nunc di cturus ſum: meminiſſe uidelicet oportere illorum quæ in opere de ſimplicibus medicamentis prodita ſunt. In cuius primo libro methodum ſeu rationem expoſui, qua medicaminum facultates inueniantur: tum pluribus ex emplis eius exercitationem propoſui: in ſequentibus ſin gulorum nominatim mentionem feci. Nam illorum me mor, ex facili rationem eorum qui hæc pharmaca à no bis modò propoſita compoſuerunt, aſſequeris, & uide licet ipſe alia conficies, quocunque tempore prius exper torum inopia laboraueris: multa ſiquidem huiuſmodi non paucis contingunt in itinere, cum alio, tum maximè nauali. Quandoquidem etiã in patria quidam manentes, pharmacorum ſtructuram, unde ægros curabant, amiſe runt, ut præ triſtitia ipſi tabefacti, perierint. Optimum igitur medicamenta iam explorata ſecũdum dictam me thodum uſurpare: ſin autem, ut dixi, nonnunquam hæc deſideremus, habitum talem nos habere, quo ſimulia iam abundè compertis, poſſimus componere: quemadmodum me ſæpe agentem & in itinere & alibi uidiſtis. Nonnul la ſiquidem quæ proprio marte in huiuſmodi temporum occaſionibus condidi, poſtquam experiẽtia probaſſem, nihilo peiora uel celebratiſſimis apparuerunt. Nam pri

mum ipſorum compoſitionem ex coniectura artificiali molimur: poſtea uerò cum nonnulla poſt experimentum probatiſſima uiſa fuerint, nonnulla à ſcopo abſint, denuò rurſus corrigimus, & tertio nonnunquam ad perfectionem eius quod præſtare uolumus, ipſa redigimus: at ſine methodo, & in prioribus, & in Therapeutices libris expoſita uti prædictis rectè nemo poteſt: tantum abeſt ut ſimilia ipſis conficiat.

Emplaſtra ad digerendum & extrahendum, quæ Græcè διαφορητικὰ & ἐπισπαστικὰ nominantur.

QVi *compoſitorum medicaminum uirtutes deſcripſerunt, emplaſtra quædam ab extrahendo* ἐπισπαστικὰ, *ſicut alia à diſcutiendo* διαφορητικὰ *nominarunt: alijs utranque extrahendi, & digerendi facultatem adeſſe teſtati ſunt. Etenim uicinæ ſibi uirtutes ſunt, eorum quæ in alto latent, attractrix, & attractorum digeſtrix. Nam quæ trahunt etiam nonnihil planè diſcutiunt: & quæ diſcutiunt, pariter trahunt: Verùm in digerentibus medicamẽtis diſcuſſoria uirtus, in trahẽtibus attractrix præpollet. Conſtant itaque attractrices ſimplicibus pharmacis, quæ humorum ſuperfluitates in cutem extimam poſſunt extrahere. Diſcuſſoriæ ex his conflantur, quæ attractum poſſunt digerere. Vt autem emplaſtrum fiat, quemadmodum ſuprà dictum eſt, huic argenti ſpuma, illi reſina, alij cera, alij oleum, reliquo pix temperatur. quæ nec inſignem digerendi potentiam, nec extrahendi continent, ſicut uel propolis, uel calx, uel medulla, uel*

galbanum, uel asiæ petræ flos, uel spuma nitri, uel aphronitrum, uel acetum, uel lixiua stacte, piper, sinapi & struthium, salesq; tum qui edi possunt, tum ammoniaci. Ad hæc pleraq; alia, de quorum facultate in commentario simplicium dictum est. Nunc autem emplastra, quæ iam experimẽto satis probata sunt, exequar: tantum adhuc ipsis adijciens, quòd nonnulli etiã astringentia pharmaca extrahentibus miscuerunt, ueriti quod accidit, ubi humorum superfluitas fuerit: trahunt siquidem plus interim ac conuenit, ut non solum ex particula quæ curatur, attractionem in alto, sed etiã ex omnibus uicinis moliantur. Comprehensum est & antea, cum de sarcoticis ageremus, extrahentia & digerentia, uelut omnia quæ magis quàm oportet detergunt, sarcotica fieri cerati mistura. In quibus uirtus quidem ualida, copiosioris: in quibus imbecilla, paucioris. Quòd si uerò compositum extrahendi uel digerendi medicamentũ, astringens quoque aliquid habeat, tali pharmaco ad carnem generandam, propter uim astrictoriam utendum non est, quæ ad uulnera glutinanda & sinus, tum ad ulcerum cicatricem ducendam utilis est, ad carnis productionẽ non ita. Dictum mihi est abundè iam de hoc.

Hæc in Aegyptia Andromachi scribit Galenus libro sexto.

SVbinde audiui medicamenta, quæ simul cum digerentibus etiam astringentia capiunt, tutiora fieri: quæ uerò sine astringentibus digerant, efficaciora quidem, sed non perinde tuta: sæpe enim fluxiones attrahunt, dũ corpus quod curatur, plethoricũ est, uel prauo

succo

ſucco obnoxium. Si autem uacuum corpus eſſet, ac ſuperfluitatibus liberum, prõptius medicamenta, quæ diſcutiuntur, ſola ſine aſtringentibus aſſumpta, ad finem peruenirẽt. At cum pauca id genus corpora quibus medicamenta offeruntur, reperias: ſecurius eſſe uidetur, miſcere etiam nonnulla repellentia. Ita ſanè & emplaſtro digerenti, quod ex ſale conficitur, quidam adiecerunt chalcanthi paululum, quamuis ſal ipſe aſtringens quippiam poßideat.

E ſeptimo libro Galeni

DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM

ΚΑΤΑ ΓΕΝΗ.



MALAGMATA uocant medici, quæ partes ſupra naturam induratas emolliunt, calido omnia tẽperamẽto mediocri prædita, non tamẽ exiccantia, quemadmodum nec manifeſtò humectantia. Nam cum exactè malactica medium quendam ordinem inter humectantia ſiccantiaq; ſortiantur, indureſcentium ſubſtantiæ ueluti fuſionem quandam moliuntur. Nominantur autem malactica, licet in alijs paululum ad ſiccandi humectandiq; uirtutem inclinent, ſi modò ſubiectam partium, quas con

tingunt, substantiam queant diffundere: quod nimirum propter moderatum in eis calorem accidit. Ac quòd, ubi durities diffusa discussaq́; fuerit, digerentium medicamentorum usus ueniat, in tertio de simplici medicina, tum in decimoquarto Therapeutices libro comprehensum est. Indurescentia igitur, quæ ex methodica, seu rationali arte non curata scirrum contrahunt, optimè curabuntur, si medicus spectet, quātum ægri corporis substantia à mediocri humiditate ac siccitate recesserit, quēadmodum si affectus ipsius incrementum inspiciat: præterea consideret, inter ipsa pharmaca alia magis, alia minus emollire: Huc nanque spectanti primus usus emollientis medicaminis, coniecturalis quidē erit, sed cum artificio. At post unum aut alterū diem siue intendere medicamenti uirtutē, siue remittere conueniat intelliges, ut in prioribus & medendi methodo dictum est. Quapropter medici digerētia pharmaca cōposuerūt, ceu scopos ambos sibi proponētes, tum ut partis duritiem, quæ iam in scirrum degenerat, diffunderent: tum ut per halitum digererent, non uicißim utroque utentes, quemadmodum me frequenter facere conspexistis: uerum duo ipsa composito medicamine molientes. Notum est omnibus, in mistura uel emollientia, uel digerētia esse copiosiora, tum maioris minorisq́; rationē in ipsis esse nō exiguam. Cæterum constat subinde uaria facultatibus misceri: ac necesse est, sicut in alijs medicamentis, ita in his, si probè mederi cupias, plura eiusdem generis pharmaca, uel certe duo temperari, ualidißimum puta totius generis & moderatißimum, ut ex ipsorum mistura conuenienti multa quæ

ta quæ intra ſumma contineantur medicamina efficias. Non enim pingue eandem uirtutem obtinet quam bdellium, ſtyrax, & gutta ammoniaci: quemadmodum nec inter ipſos adipes anſerinus, & gallinaceus, uel pardi, uel leoninus, uel hyenæ, uel alterius cuiuſdam animalis: Nam ſecundum animalis temperamentum etiam adeps calidiorum magis excalfacit, ſicciorum uerò euidentius ſiccat. Ac uulgus medicorum nouit leoninum adipem in utroque, calfaciendo dico & digerendo, longè eſſe ualentiſsimum. Proximum locum habet pardi adeps, ut qui modicè emolliat: pari ſpatio ab hoc recedit adeps gallinaceus. Hi igitur omnes tenuiorum partium ſubſtantiam inter quadrupeda animantia occupant. At differentia prorſus permagna in illis eſt, cum ſuillus quidem molliſsimus ac humidiſsimus, eoq́; aliorum imbecillimus ſit, ut teneris corporibus conueniat, cuiuſmodi habent mulieres, pueri, eunuchi, & uiri delicatiores, in umbra, ocio, & frequentibus potabilis aquæ balneis effœminati. Caprarum uerò & boum pingue quãto ſuillo eſt ualidius, tanto magis corporibus & natura durioribus, & inter duriora ſcirro opportunioribus conuenit: taurorum hircorumq́; in ualidioribus, tum corporibus, tum affectibus proficit. Eadẽ uerò & alijs in minoris maiorisq́; ratione inter ſe eſt differentia. Porrò ab imbecillioribus auſpicabor, ſi prius de duritiei, ac ſcirri affectu quædam prælibauero: nam cum phlegmone laborantibus & indureſcentibus commune ſit, digitis prementibus reniti, diſtinguuntur affectus, doloris ſenſu & indolentia: hæc enim nondum utriſque communia ſunt. Quemadmodum

uerò in alijs omnibus, quæ sibi mutuo possunt accidere, inest uicinitas utriusque aliquatenus particeps, ita quoque ulcerum phlegmone laborantium, cum scirris absq; phlegmone, quales induratis accidunt, media quædam est dispositio, doloris quidem expers, si non digitos imprimas, dolens autem si id facias, quàm clarioris breuiorísque disciplinæ gratia, uel phlegmonem scirrosam, uel scirrum phlegmonodem dicemus, non hic tumoris magnitudini animum attendentes: Nam phlegmone & scirrhus formæ affectuum, non quantitatis in altero ipsorum nomina sunt: Nam phlegmone uel propter partis inflammatæ magnitudinem, uel ob tumorem præter naturam magna euadit: parua autem quum aut paruum locum possidet, aut exiguum tumorem habuerit. Dicetur nunc mihi paruæ phlegmones, scirrique parui curatio, sicut & magni utriusque, pro affectuum figura. Hinc enim & aliorum, quæ magna & parua dicuntur, curationis notio sumetur. Itaque magna phlegmone cataplasmatis ac humidis quibusdam medicamentis sanatur: parua, cum scirrosa durities mista fuerit, itidem cataplasmatis: interim uerò medicamentis cerati modo confectis, & liquidis, insuper emollientibus emplastris: talibus autem & parua durities tollitur. Atqui in hoc quidem simplex scopus, quemadmodum & phlegmone consistente est: cum uerò durities phlegmonodes quippiam habuerit, ad composita quoque animum dirigimus.

De

De medicamento, quod quia liquidum est, πάρυγρον Græci appellant.

AC ideo medicamen quodammodo compositum est, ueluti & hoc quod πάρυγρον nominant, omnibus cognitum: magnificè uerò cum ab alijs quibusdam, tum Hera commendatū. Medetur autem id particulæ parua adhuc phlegmone conflictanti, non multo pòst confectionem tempore, sed protinus impositū: ubi uerò duritiem à dolore alienam pars affecta acquisierit, paulò recenti uetustius utile est: quemadmodum si phlegmonodi affectu omnino sit libera, melius in ea uetustius medicamentum proficit: uerùm medicamenti tempus pro duritiei intentione uidelicet æqualiter augere conuenit, etsi partem ualde induratā ne uetus quidem pharmacū emollierit. Quippe uaria hoc πάρυγρον dictum medicamentum & promittit, & potest: quoniam materiem mistam quoq;, seu uariam obtinet: siquidē adeps suillus & cera mollientium sunt imbecillima: argenti spuma uerò & cerussa nihil habent malacticum, quemadmodum antea didicimus. Porrò Heras, qui pharmacum hoc omnium maximè laudauit, ex hisce ipsum ita conficit: Adipis suilli recentis curati pondo uncias quadragintaquatuor, ceræ pondo uncias uigintiquatuor, cerussæ pondo uncias sex, argenti spumæ tantundem: quæ liquari possunt siccis superfunduntur: temporis autem spatio medicamentum consistit spissaturq́;. Sicut ceram & adipem suillū imbecillæ molliendi uirtutis esse dixi, ita si oleo pauxillū ceræ misceas, id quod à medicis cerælum dicitur efficies. Atqui oleum uidelicet esse conuenit, nec quod uocant omphacinum

& omotribes, quasi dicas, immaturum & crudum, nec quod oleæ surculos in confectione assumpsit. Itaque tam imbecillia malactica etiam paruis medicantur inflammationibus. His autem fortiora modicam duritiem sine phlegmone persanant: his adhuc ualidiora maiores, quemadmodum & quæ duritiem in scirrum propè degenerantem curant, efficacißima sunt, cuiusmodi est medullarum genus, in maioris minorisq; ratione inter se differẽtium, ut deinceps explicabo. Item bdellium utrunq;, arabicum & schythicum: insuper styraces: siquidem horum efficacißimus est colore pallidus, qui etiam optimus in Pamphilia nascitur: qui uerò hoc magis fuscus est ubiq; prouenit, potentia multò pallidiore inferior: at temporis processu aureum colorem acquirit. Hoc itaque in antidotis propter caritatem utimur: ac tu propterea principi quodcunque ex styrace præparans semper hoc uteris: item si familiarium quis in pharmacorum sumptibus magnificus existat, illi quoque ex huiusmodi styrace medicamentum compones: in alijs optimum ex fusco genere deliges, & odore potißimum, & colore iudicium eius sumens: nam niger deterior est. Cæterũ his quæ indure scẽtia ualidè emolliũt, gutta ammoniaci adscribitur, eaq; magis pinguis & noua. His minus, sed tamẽ & ipsa efficacia sunt, caprarũ boumq; pinguia: interea ipsa hircorum ac taurorũ ualidiora sunt: boũ uerò & caprarũ his quidẽ imbecilliora, quanquã nec ipsa actionis sint expertia: hœdorum autẽ & uitulorum his ipsis adhuc imbecilliora sunt, porcillo tamen efficaciora: porrò leonis, pardi, hyenæ & anseris euidentius his digerunt, non magis emol

Styracis differentia, & electio.

De adipibus.

emolliunt: quanto etiam ſubtiliorem ſubſtantiam caprino & bubulo ſeuo habent. Cæterum gallinaceum mediam intra anſerinum & ſuillum ſedem occupat: quemadmodum & medullarum optima eſt uitulina: ac reſinæ, quæ non acrem odorem habent, ſi dictorum cuipiam miſceantur, glutinandi uim, quæ Græcis ἐγκολλητικὸν dicitur, medicamentis compoſitis apponũt, emolliendi uirtutem non auferunt. Aptiſsima eſt quæ Chia uocatur & larix: poſt has picea, inde abietina: ſtrobilina uerò uehementer acris eſt, pityinea, ſeu pinea, quam proprie phyſema nominant, pinguitudinis expers admodum exiccat. Has igitur fugere, chia uerò & abietina uti oportet, non ipſis per ſe, uerùm cum cera & quodam alio, quod affectui conducere uideatur. Cæterum pix non miſcenda eſt, ſicut nec bitumẽ, utpote iuſto ſicciora: quippe ea quæ exiccant mollientibus eſſe contraria: quoniam uere piceam & frictam reſinam, & colophoniam appellare conſueuerunt, ſciendum uenit, aliam quandam eſſe colophoniã, Chiæ maſtichæ perſimilem, molliens aliquid habens, quemadmodum illa & thus: inſuper ægyptia maſtiche nonnihil emollit, ſed maior uirtutis ipſius portio concoquit, digeritq́; : item thus modicam molliendi uim obtinet: uerùm hoc quidem coctum ex uſu eſt, ueluti & fœnigræci ſemen: etenim & hoc probè coctum emollit, ac magis adhuc pingui temperatum. At quæ citra coctionẽ ob conſiſtentiæ ſiccitatem dilui, liquari, mergiq́; deſiderant, oleoſo quopiam indigent, cuiuſmodi ſunt, oleum ipſum, cum nihil aſtrictionis habet: item balneorum ſtrigmenta, præterea quod uocatur ſuſinum: ad hæc

Medullæ.

De reſinis, & cur malagmatis miſceantur.

Colophoniæ duplex nota.

multo magis commagenum: huius ordinis est butyrum, tum altheæ & fœnigræci decoctũ. Porrò inter tam mollia & ualidißima, quod genus sunt bdellium & styrax, gutta ammoniaci idem potest quod & propolis: atqui hoc in bdellio distinguendum est, quòd scythicum altero arabico multo ad hæc sit præstantius, præcipue nouum & molle, quod etiam pingue nominant: consuetudo siquidem hæc est inter recẽtiores medicos, in huiusmodi pharmacis quod mollius est, idem uidelicet humidius quoque appellasse. Cæterum galbanum, & quæ opopanax dicitur, præterquam quòd digerunt, etiam quid molliens occupant: opopanax autem digerendo, galbanum molliendo coquendoq́; præcellit. Talis sanè mollientiũ pharmacorum facultas est. Tu cum uel scriptum aliquod in libris medicamentorijs discutias & examines, uel ipse componas, auditis nuper pharmacorum secundum maioris minorisq́; rationem differentijs, intellectis item corporum affectuumq́; diuersitatibus, ualida ualidis, imbecillia imbecillibus adhibebis. At ubi post primam medicamenti impositionem denuò ipsum applicas, oleo pingui partem affectam fouere conuenit. Porrò ex ijs quæ à glutinatione ἐχέκολλα nominantur, nullum auferendum est priusquam sua sponte abscessus proueniant: atqui si laueris permittenda sunt. Vitanda autem medicamentosarum aquarum lauachra, præsertim quæ auripigmentosa, aluminosa & sulphurosa sunt. Hæc quidem sufficiũt uiris cordatis ac prudentibus, tum in medicinæ operibus quodammodo exercitatis. Quoniam uerò omnes eiusmodi non sunt, & proposuimus hoc commẽtario, non ut in

opere

opere de morbis curandis methodum solam exponere, uerùm simul cum particularium uno atq; altero exẽplo pharmaca usu comperta subiungere oportet, quæ maiores nostri, in medicatoria artis parte celebres, literis mandauerunt, ad speciales mollientium pharmacorum differentias perueniemus, à mollißimis, quæ & paruis inflãmationibus medentur, exorsi. Ex compositis malacticis alia quidem, ut ita dicam, imbecilliora primo ordine statuuntur, quædam non multo his ualidiora, secundo, & quædam alia tertio, ad hæc nonnulla quarto. Cæterum primi ordinis malacticis ad exiguas durities, & in mollibus seu teneris corporibus uti, sicut prædictum est, expedit: ad fortiora his corpora & affectus, secũdi: quemadmodum & tertij & quarti, pro illorum qualitate. Subscribunt autem singula illorum ordinum separatim.

Malactica, id est, emollientia medicamina primi ordinis.

BVtyrum uel resina colophonia, & cera candida non uetusta, singula pondere æqualia, inuicem liquata, primi ordinis malactica sunt. Et liquidum medicamen, quod πάρυγρον appellatur, eorum numero adscribitur, cum recens fuerit: uetus autem maiorem digerendi uim repræsentat. At emolliẽtium imbecillimum est, cera cum butyro liquefacta, aut ex susino, aut commageno. Atque his imbecillius est quod dicitur Græcè κηρέλαιον, quasi ex cera oleoq; confectum, cum in libram olei laxantis nulla astringẽdi uirtute præditi, ceræ uncias duodecim, uel sedecim iniecerint. Iam ex ouis cerata facta, exiguam

quand

quandam relaxandi poteſtatem poßident: ualentiora his, uerùm imbecilla adhuc & ipſa, cerata ex œſypo, reſina & cera pari pondere liquefactis: Sin autem uetuſtiora quodammodo ipſa fuerint, olei cuiuſdam laxantis, uel ſuſini, uel commageni, uel adipis ſuilli, uel gallinacei, uel anſerini miſturam requirunt.

Malactica medicamenta ſecundi ordinis.

QVemadmodum in ſimplicibus medicamentis factitauimus, quarti ordinis homogenia pro maioris minorisq; ratione diſtinguentes, aliquorum ambiguam eſſe uirtutem diximus, ſiue ad primum ordinem, ſiue ſecundum initio ipſorum facultas locanda ſit: Ita de ſecundo, tertio, & reliquis deinceps. In quibuſdam uerò audacter pronuncians, alia in principio huius, alia in termino huius ordinis conſiſtere dixi: ſicut nonnulla citra appoſitionem uel primi, uel ſecundi, uel tertij, uel quarti ordinis eſſe retuli. Atqui multum experientiæ particularis in uarijs & corporibus, & uitijs ſeu affectibus huiuſmodi pronunciata deſiderant. Quare ſi quis poſt me æquè ſtudioſus, & ueritatis uehemẽs amator extiterit, non temere ac ſubito, ubi bis térue uſus expertusq; ſit, ferat ſententiam: frequenter enim ex longa experientia, quemadmodum & ego, deprehendet uidebitq; in ſecundo ordine dicta, in tertium incipientem tranſponi oportere, uel mixta in principium tertij abſolutè. Cùm enim corpora, quibus medicamenta adhibentur, ipſiq; affectus non exiguum differentiæ exceſſum in maioris minorisq; ratione obtineãt, difficillimum eſt de omnibus eadem pronunciare.

ciare. Accedit huc, quòd ipsa simplicia medicamenta non paruo diuariant discrimine. At ego cùm in præstantißimis uirtutem pro unaquaq; specie ac genere ostenderim, si quis in deterrimo per experientiam examinationē moliatur, examinabit quidem falsò, non autē facultatis ipsorum ordines distinxerit. Itaque longè tutißimum est, medicaminum ipsorum inter se differentiam secundum maioris minorisq; rationem accuratè scribere, quemadmodum & in alijs feci, & nunc facturus sum. Sanè quidem emplastrū Mnaseo auctore compositū, rectißimè secundo malacticorum ordini adscripseris, omnibus certe qui eius meminerunt, conuenientibus, ex oleo ueteri, argenti spuma, & adipe suillo componi: in quantitate uerò singulorum discrepantibus, tum eo quòd nonnulli ex recenti adipe, quidam ex ueteri, quem iam omnes uocare solent axungiam, composuerint. In his quidem imbecillimum fiet ex argenti spuma, suillo adipe, & oleo, neutro ueteri ualidius: oleo quidem inter ea ueteri, altero autem recenti addito: his ualidius ex ambobus uetustis. Ex eo igitur quòd recens, aut uetus oleum adepsq; immittitur, quatuor differentiæ prodibunt: aliâs quidem ambobus recentibus, aliâs uetustis: nonnunquam oleo quidem ueteri, adipe uerò recenti: uel contrà, oleo quidem recenti, uetusto autem adipe indito. At ex trium ipsorum simplicium medicamentorum mutua temperatura aliæ plures differentiæ emanabunt: uel enim pari pondere & mensura hæc tria miscentur, ac multi affirmant, ab ipso Mnaseo confectum tribus paribus constare, uel duobus quidem paribus, tertio non pari, sed minori aut copiosiori,

ſiori, uel tribus imparibus temperatis: unde clarum euadit, multas fore differentias: Copioſa *ſiquidem argenti ſpuma iniecta, medicamen poteſtate mollius fiet: pauciore, ualidius: ac magis emolliet, ſi plus adipis immuttamus: digeret fortius, ſi oleum augeamus.* Præterea *aliud quidem accedit copioſiore oleo impoſito, quod magnā uim ad medicamen, ut magis digeret, efficiendum occupat: eſt autem hoc, ſicut primo libro diximus, ſi magis incoquas. Si igitur ſolam argenti ſpumam in oleo copioſiore coquas, medicamentum euidentius exiccabit: in uberiore uerò oleo coques, ubi plus indideris, ſi emplaſtri ſpißitudinem habiturum ſit: quòd ſi id non cures, ſed æquali tempore tum id quod minus olei continet, tum quod plus habet incoquas, liquet poteſtate mollius futurum, cui oleum uberius temperatum fuerit, quemadmodum ſi & cruda argenti ſpuma oleo commixta acopo uti uelis. Quare quod iam ſæpæ dixi, ſemper ipſius meminiſſe uolo: non ſicut quidam ſententias abſolutè de pharmacis ferunt, & ſic nos facere: abſolutè dicentes, hanc medicamenti compoſitionem illa eſſe potiorem. Nam utraq; ad diuerſos ſpecie affectus componi poteſt: interim ad eoſdem diuerſis temporibus.*

De relaxantibus medicamentis.

V*Ocantur medicamenta quædam relaxantia,* Græcè χαλαστικὰ, *familiari omnibus propè recentioribus medicis uocabulo: inde nimirum, ſicut & nomen ipſum indicat, quòd tenſas laxant particulas: quippe relaxari, ac intendi contraria inter ſe dicuntur: quinetiam* Hippocrates *hūc in modum ſcriptum reliquit: cuti duræ emollitio,*

litio, intensæ relaxatio cõuenit. Si igitur propriè quis dictionibus uti uelit, nonnulla medicamina induratorum corporum malactica, id est emollientia esse dicet, ea nimirum quæ ipsorum soluunt duritiem, quemadmodum & relaxantia quæ tensioni medentur. Porrò in phlegmonis cutem tendi contingit, interim à subiecto tumore symptoma hoc capientem, interim ipsammet inflammatione laborantem, non tamen phlegmones substantia partis inflammatæ durities est, sed è conuerso planè, sicut in libris de ipsa ostendimus, humiditas: atqui in his quæ scirro conflictantur, non præpollens in affecta parte humiditas est, uerùm durities: attamen utriusque affectus similis quodammodo generatio est, & curatio: nascitur enim ex confluxu humorum: curantur iisdem euacuatis, quanquam euacuationis modus in utrisque idem non est, sed uti in Therapeutices commentario declaratum est, in quo etiam aliorum omnium affectuum sanandi rationem explicuimus, inflammatis quidem particulis, tum repulsoria medicamentorum qualitas, morbi initio, tum discussoria semper ex usu est: scirris autem sola discussoria sine repellente: itaque summè indurata scirro, summè insanabilia sunt. Porrò dignoscere ea oportet, eo nempe signo, quòd nullus affectis partibus sensus supersit: at in quibus sensus quidem est, sed obscurus, hæc curantur pharmacis humorem incrassatum uidelicet digerentibus, non tamen ualidè, ac uniuersim hoc agentibus, sicut digerentia medicamina faciunt, cuiusmodi uocant Græci [illegible?] & [illegible?]. Mirari uerò non oportet, mutationẽ in duritiem ex inflammatis accidere,

cum

cum ſimul & confluens humor ſit craßior & liquidus, & curatio medicamentis ualde exiccantibus adminiſtretur: quemadmodum & in exterioribus permulta corpora, quæ ipſum ignem contingunt, torrentur, ex aqua rurſus emolliuntur: ita in inflammatis affecti loci humiditas, à calefacientibus & exiccantibus ualidius pharmacis, reliquum aliquid uiſcoſum craſſumq́; retinet, tenui diſcuſſo. Et hac ratione in morbis articularibus calli proueniunt, & in renum uitio calculi. Quòd ſi uerò fluxio quæ phlegmonem committit ſubſtantia ſit tenuis, & curatio eius ſiccantibus & calefaciētibus pharmacis adhibeatur, nihil ſcirroſum relinquitur: imò refrigerantia uehementer aſtringentiaq́; ſcirros procreare ſolent: ac multos ex eryſipelatis immodicè refrigeratis ſcirroſos humores habere conſpicimus medicorum qui eos ſanandos ſuſceperunt inſcitia. Prima ergo medicaminum, quæ phlegmonis & quæ ſcirris medentur, differētia eſt prædicta: altera propter dolorem inflammantis coniunctum. quæ non ſuſtinet ualens medicamentum affectæ particulæ offerri. Quippe hæc cum dolore actionem edunt, inflammatis ob affectum ſtatim dolentibus, eoq́; mollißima remedia deſiderantibus. At uehementiora prætérquam quòd dolores non ſoluunt, uel mitigant, adhuc etiã exacuentia maiores phlegmonas concitant. Itaque primus uſus in dolentibus phlegmonis eſt, qui medicamentis abundè humidis ſimul & modicè calidis adminiſtratur. Alter paulò craßioribus ſiccantioribusq́; conſtat. Tertius relaxantibus nominatis, quæ nonnulli malagmatis adſcribunt. Sunt autem inter ea mollißima ſanè, quæ cerati

rati

rati speciem consistentia referunt, cum ex butyro, cera, adipibus, oleoq́; relaxante componuntur. Temperatur ipsis œsipi, resinæ & picis modicum, sicut & thus, & galbanum, præterea nonnihil iris illyricæ. Porrò Menecrates ut ipse ait, & alij quidam ei attestantur, medicamentum διὰ χυλῶν, id est ex succis appellatum, phlegmonis nondum uehementer dolentibus esse remedio.

De Acopis.

QVid acopa medicamenta promittant, etiam nomen ipsorũ ostendit. At copos, id est laßitudines Græci homines uocant affectus ex multo uehementiq́; motu, corporibus uel totis, uel particulis amplius exercitatis oborientes. Porrò molesti sunt potißimum ijs qui agitantur, mouenturq́;: uehementiores autem, iam & conquiescentibus negocium facessunt. Cæterum postea medicis in usu fuit, etsi non ad laßitudines medicamen ab ipsis sit compositum, sed uel ad dolorem diuturnum in alto corporis latentem, uel motum difficilem, uel particulæ duritiam, uel tensionem, uel tumorem scirrosum appellare acopa, & id genus omnia, modò humidam consistentiam acopis similẽ habeant: quæ liquidis ceratis, cuiusmodi & in luxatis, fracturisq́; utimur, est propinqua. Quippe talem consistentiã habet, humidißimum quod à iunioribus medicis ceræleõ appellatur: deinde illitus acopi: post hos liquidorum ceratum, craßiore substantia præditũ: mox ceratum tenerorum & mollium, uti uocant: postremo amolynta, hoc est non inquinantia, similia ijs quæ propriè epithemata dicuntur. His succedit emplastrorum consistentia, quæ & ipsi in maioris minorisq́; ratione haud

Medicaminũ consistentiæ ordo.

mediocrem obtinent differentiam. Quare nonnulli medicorum quædam nomine à sola consistentia ita desumpto, ceratomalagmata nuncuparunt: medicamenta, inquam, inter ea quæ corpori imponuntur: nondū quidem humida, duritiem uerò necdum consecuta, qualem emplastra occupant. Cum igitur omnes citatæ differentiæ non medicamentorum uirium, sed consistentiæ formæ sint indices, acoporum appellatio quondam sanè medicaminū facultatem, postea consistentiā significauit: huiusq; rei causa cū distinctionibus ea nominare coacti sunt: hoc quidē acopon relaxans, illud emolliens, uel calefaciens, uel à dolore tollendo anodynum, uel metasyncriticum appellantes: sicut ad huiusmodi quendam affectum conferre: uerbi gratia, paralysin, coxarū laterumq́; dolorem: uel communiter ad uniuersos dolores. Natiuum igitur est medicamen simplex, omnium laßitudinum præsidium, oleum uidelicet, quod & citra adiectionem nominatur: quoniā uetustis temporibus solum quoque erat: posteri cicinum apud nos ei apposuerūt. In Aegypto enim hoc simul uetustum erat: & rursus raphaninum, sinapinum, & sesaminum, tum alia eius generis, quēadmodum etiam apud nos crininum, mastichinum, & lentiscinum, quæq́; his magis uaria sint, ut unguenta, propè accedant. Itaq; neminem latêre arbitror, medicamenta acopa dicta, omnia liquidæ consistentiæ esse necessariò: quippe oleum solum laßitudines externis partibus ingruētes curat: in alto affligentes uehementioresq́; temperatū alicui laxanti pharmaco, & mediocriter calefacienti, ueluti galbano, resinæ terebinthinæ: adhæc colophoniæ cuidam nominatæ & frict

Ceratomalagmata.

Oleum simplex acopō.

Acopis quæ misceantur.

& frictæ. Quibus calidiores sunt abietina & strobilina: terebinthina uerò larix paulò calore præcellit. Cæterum id genus omnia relaxãtibus oleis miscentur, quale est sabinum, iniecta interdum & cera. Iam uerò ἄκοπον unguen est in his qui iam in corporibus alto dolent medicamẽ ex semine abietis, chamæmeli, aneti, & floris populi, quorũ mox dicemus confecturam: præterea susinum, & gleucinum, & comagenum ex acoporũ unguinum grege est, quæ tum ex medulla, tum pingui componuntur, suillo quidem moderatißimè relaxãti, gallinaceo autem his uehementius, & hoc adhuc magis anserino. Atqui pingue leoninum, & pardi ualidius est, ut iam uehementer calefaciat, eoq; insigniter discutiat. In medio horum cõsistunt, bubulum, caprinum, uulpis, & hyenæ. Hæc sanè in uniuerso genere sunt, quæ propriæ ἄκοπα dicuntur, hoc inuicem discrimine uariantia, quòd alia magis, alia minus calefaciant. Quapropter nonnulla genere toto acoporum unguinũ excidisse uidebuntur, si in mollibus ea corporibus examines, etsi durioribus, cuiusmodi agrestium sunt, utilißima appareant: nam subinde diximus, dura corpora ualentiora pharmaca sustinere, mollia uerò & humida, uelut puerorum, mulierũ, & eunuchorum eiusmodi medicaminum potentiam ferendo non esse. Insuper cuiuis notum est, & quæ uocantur myracopa, ex acoporum cum unguentis temperatura fieri, nihilo cæteris præstantiora nisi odoris suauitate.

APPARATVS MEDICAMENTORVM GENERALIVM FINIS.

Lugduni
Excudebant Ioannes
& Franciſcus Frel-
lonii, fratres.
1542

ff

